24

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

ERRORIBUS PRACTICIS, CIRCA CONTAGIOSARUM MALIGNARUM FEBRIUM CURATIONEM EVITANDIS,

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, RELIQVA,
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRAESIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,
CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RER. NATURAL. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEG.
LONGE DIGNISSIMO,
DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SUO
omni Obſervantiæ atque Honoris cultu ætatem proſequendo,
PRO GRADU DOCTORALI,
Summisque in Arte Medica Honoribus, Inſignibus, ac Privilegiis
More Majorum ſolenni obtinendis,
Ad d. . Novembr. A. MDCCXIII. horis conſuetis
IN AUDITORIO MAJORI
Publico Eruditorum examini ſubmittit

GEORGIUS FRIDERICUS STEINER,
VRATISLAVIENSIS.

HALAE MAGD., Litteris CHRIST. HENCKELII, Acad. Typ.

PROOEMIUM.

QVod ſuo jam ævo conqueſtus eſt *Hippocrates*; *Medicinam, utut omnium artium illuſtriſſimam, tamen imperitiâ eorum, qui ipſam exercere in ſe recipiunt, & inſcitiâ illorum, qui tales eſſe Medicos interpretantur, omnium artium poſtremam haberi*, illud ut à tanto inde temporum intervallo deſiiſſet, & utraque hæc, tam agendi, quam judicandi, temeritas, inſolidum emendata, imo proſcripta aut expugnata, foret, eſſet quidem omnibus modis non ſolùm optandum, ſed etiam bono jure ſperandum: verum, uti ſunt res humanæ, tantum certè abeſt, ut hîc aliquid decantatæ Felicitati temporum tribuere integrum eſſet, ut potius jure meritoque timendum ſit, ne longè juſtior ultimis his temporibus ſit illa querela, quàm ullis antiquioribus fuiſſe, videri poſſit. Quamvis autem hæc ipſa res, in omni genere morborum, paſſim adeò eluceat, ut ſimpliciter ſupervacuum foret de illâ prolixa teſtimonia in medium proferre; declarat

tamen rem tantò luculentius, *Malignorum Contagioſorum* Morborum publicè graſſantium experimentum; dum tot, adeò decantatis illis, & omni Rhetorum colore deprædicatis, numeroſiſſimis æquè, atque laudatiſſimis, remediis & artificiis, artifices adeò nihil proficere, dies ipſa docet, ut potiùs non deſint paſſim, ſatis conſpicua indicia, imò teſtimonia atque documenta, quod artificiis hujusmodi, non ſolùm præſentiſſimo neceſſitatis tempore, nihil pollicitationibus illis otioſis conſentaneum, impetretur aut perpetretur, ſed etiam paſſim glaucomata illa, oculis hominum hinc inde objecta, eousque recedant, ut potius ſatis liquidò perſpicere diſcant, quod ſæpenumero, loco promiſſi, & omnibus votis ſperati, felicis atque ſalutaris ſucceſſus ac eventus, in deterius potiùs ruant morbi; & ægri, vel magis anxiè & periculosè cum morbo colluctentur, vel eidem citius atque triſtius ſuccumbant. Eſt hæc ſanè etiam par, ante dictæ, ipſius Hippocratis querela; quod in *acutis* præſertim morbis, non ſolùm ingens diſſenſus, & reciprocæ inſimulationes, atque exprobrationes rerum non rectè geſtarum, Medicis familiares ſint; ſed etiam in hoc negotio oppidò rarum ſit quidquam *exquiſitum* cernere aut decernere. Quâ ultimâ quiden animadverſione, videri poteſt ſapientiſſimus Senex, è naturali æquitate fragilitati intellectus humani aliquid exculpationis concedere, ejusque cauſam quadantenus agere voluiſſe: interim tamen licentiam illam, in omnia contraria, non tàm ſolùm ſententiis, quàm ipſis actionibus & experimentis, diſſidendi, imò citra juſtas atque luculentas probationes, ſe mutuò calumniis atque inculpationibus impetendi, pro merito aſpernari atque improba-

bare. Sanè verò, Siſyphi hic ſaxum volvitur, & nunquam deerit juſta occaſio aut ratio, exercitium talium tentaminum atque auſuum, tàm inveniendi, quàm improbandi; cum autem ſterilis certè hic ſit, adeoque non minus otioſus, quàm inſuper odioſus labor; præſtare credimus, ſi abſtrahendo ab artificibus, de artificiorum ipſorum magis aut minus congruâ efficaciâ, quæ ſcitu digna & utilia ſint, non ſolùm ſimpliciter dicantur & commemorentur: ſed etiam rationes ita ſentiendi, & de rebus talibus judicandi, ſimul ubilibet ſuppeditatæ, dum talem ſententiam ſtabiliunt & conſtanter firmant, eo ipſo in contrarium præcipitibus aliis opinionibus, nervum ſuccidant, atque vim omnem detrahant. Quæ quidem methodus, uti unica eſt, ſanæ rationi, ſcientiæ, prudentiæ, & veræ honeſtati conſentanea; ita fruſtrà certe ſunt, quicunque illi indignari in animum inducunt; faſtuosè certè contendentes, ad unum, inter duos æqualiter iniquos, ſcopum: quaſi nempe, quando de ipſis talibus rebus errores aliqui arguuntur atque demonſtrantur, non tàm his, quàm perſonis, veluti dica ſcribatur; vel è converſo, propterea, quia ipſi fortè malæ talismodi cauſæ patrocinium in ſe recipiunt, nefas propterea eſſe debeat, de ipsâ re, & quidem per luculentas rationes atque demonſtrationes, diſquirere & luculentàm veritatem enucleare. Quod, ut ab omni ſanâ ratione alienum meritò reputamus; ita nequaquam tamen illi auſui pollicem premimus, quando manifeſtâ ſimultate, & prorſus imprudenter denudato inimico affectu, non ipſa res bono jure firmis rationibus, arguitur: ſed in ſelectos ſibi adverſarios, non tàm ex occulto, quàm, & ne hoc quidem ſatis callidè, ex obliquo, ſpicula diriguntur: quod à probo animo omni modo abeſſe decet. Placuit hæc præfari dum

INAUGURALIS SPECIMINIS loco, DE ERRORIBUS PRACTICIS, CIRCA CONTAGIOSARUM MALIGNARUM FEBRIUM CURATIONEM EVITANDIS, publicè diſſerere, nobiscum conſtituimus. Oſtendemus circa hoc negotium, non tantùm, noſtram ſententiam, ſed in illud incumbemus, ut per rationes illam demonſtratam atque confirmatam demus: ubi itaque nemo bonus, quidquam aliud, quàm illud unum, ſi poſſit, quod nobis imputet, habebit, ſicubi rationes à nobis allegandæ, probationis cui deſtinantur, dignitatem atque nervum, non aſſequantur. Cui ſcrutinio uti lubentes penitus res noſtras ſubmittimus, ita, ut in re de cætero utique non exigui momenti, Divinæ Gratiæ Præſidium, pro oſtendendâ atque confirmandâ ſolidâ veritate, humillimè imploramus.

§. I.

DE *Erroribus Practicis, circa Febrium Contagioſarum Malignarum Curationem evitandis*, verba facere dum aggredimur, in mentem venit illud Philoſophi effatum, *Opinionum commenta delet dies, Naturæ judicia confirmat.* Nempe, errorũ nomine meritò notatur, quidquid *Naturæ* rerũ, tàm univerſaliori ſeu *macrocosmicæ*, quàm particulari, ſeu *microcosmicæ*, refragatur; & commentitiis opinionibus ſuperſtructum, ſed in rei veritate nusqum ita, ſed paſſim multò aliter, invenitur. Sicut enim *macrocosmica* illa natura, i. e. *ſyſtema motuum ſecundum immutabiles leges, & materiarum proportiones, in ſpecies inanimatas, magis immediatè, animatas verò mediatè, efficax;* & natura *microcosmica*, nempe *animalis*, dictis ſpeciebus

im-

immanens principium, tàm præſtandorum quam regendorum *motuum*, illic *mechanicorum*, hîc *organicorum*, leges illas agendi perpetuò ſervant atque proſequuntur, quas ſumma Creatoris *ſapientia* ipſis præſcripſit, & ſuprema ejusdem *poteſtas* tradidit & communicavit: Ita certè harum legum, ſecundum debitas proportiones, & certos fines, tàm abſolutè neceſſaria eſt juſta cognitio, pro ſolido conceptu de illis formando, ut, quidquid *extra* aut *contra* hanc, mente fingitur, & ſpeculando effingitur, non poſſit niſi *Erroneum* eſſe, haberi, & hoc nomine denotari atque inſigniri. Hoc itaque ſenſu nos etiam *Errores* nominamus, in medicâ practicâ adminiſtratione neceſſariò vitandos. Et quidem in negotio *Febrium Contagioſarum malignarum*, omnes ejusmodi conceptus & conatus, qui partim indolis *cauſarum* hujusmodi *febrilium*, evidentioribus circumſtantiis, partim ipſius *ſucceſſus*, *effectus* & *eventus*, morborum talium, Hiſtoriæ & Experientiæ, non reſpondent; adeòque non ſolùm exoptato & in talibus caſibus ſummè neceſſario, *uſui*, non ſatisfaciunt: ſed etiam *contrariâ* planè efficaciâ, *damno* penitus inferendo, pares eſſe poſſunt. Quod dum faciunt, aut certè facere poſſunt, nemo fuerit, quin nobiscum de reſiduo noſtræ Inſcriptionis facilè conſenſurus ſit, quod omnibus modis, *Errores* tales *evitari* debeant.

§. II.

Hac ratione de reliquo noſtræ Inſcriptionis, non opus erit verbis prolixiùs de *Febribus Malignis Contagioſis* veluti præoccupare, quamcunque dubitationem; cum de verâ harum indole pluribus agere, ipſa totius noſtri propoſiti ratio à nobis exigat. E quâ nempe tractatione, non tàm modo quid hoc nomine notemus, quàm tota indoles illius, quod omninò hoc nomine notandum venit, rectè diluceſcet. Niſi fortè illud unum præmonuiſſe, aliquod operæ pretium facere poſſe videatur, quod *malignas contagioſas* Febres appellemus, inprimis in contradiſtinctione ad vulgò ſimpliciter

ter nominatas *malignas.* Quamvis enim noſtro ſenſu & accipiendi modo, ſufficere poſſet, ſimpliciter Febres *contagioſas* nominaviſſe; cum non ſolùm omnes Febres *contagioſæ*, reverà ſint *malignæ*; ſed etiam ex ſe, & propriâ ſuâ indole, nulla Febris, (cujus nempe propiore causâ non ſatis notâ, & proinde ſeorſim accuſandâ, ipſam febrem, licet minus æquo jure, accuſare neceſſe eſt,) *veræ malignitatis*, tanquam *eſſentialiter* ipſi cohærentis, & ab illa inſeparabilis, certius compos, & omninò rea eſt, quam ipſa quælibet *contagioſa.* Interim recepto utique uſui hoc dandum cenſuimus, ut, cum quælibet febris non ſolùm *acuta* [ut *inflammatoriæ*, *conjunctæ* inflammationis reſpectu,] ſed etiam quælibet, nullâ ſubinde propriâ ſuâ culpâ, periculoſius ſuccedentes, *malignarum* tribui accenſeantur; nobis quidem propterea æquius viſum eſt, illas inprimis febres hîc denotare, quæ nec *alieniore* acceptione, nec alieniore, ſed certius omninò *propriâ*, culpâ, *malignitatis* poſtulari verè merentur. Unde neque vitio nobis verti debet, quod quaſi per *Pleonaſmum* ſupervacuum, non contenti, *Contagioſas* nominare, *malignas* inſuper dixerimus; dum nondum ſatis certi, de communi aſſenſu, quod non ſolùm *omnes contagioſæ* Febres, ſed propriè etiam *ſolæ* tales, *exquiſito* ſenſu ſint *malignæ*; tantò magis omnium etiam menti hoc in genere nos accommodare haud gravari voluimus.

§. III.

Progredimur itaque potiùs ad ipſum negotii fundum, pro quo cum utique illud inſervire debeat, ut ad *evitandum errorem*, nulla *certior*, imò nulla *alia*, eſſe poſſit via, præterqum ſola illa, ut omnia, quæ Ars medica practica ſuſcipere aggreditur, veræ *indoli*, & *efficaciæ cauſali* morborum reſpondeant atque quadrent: neceſſe propterea penitus erit, *indolem* hanc, & *cauſalem efficaciam Febrium malignarum* tanquam *fundamenti*, aut ſi mavis, *cynoſuræ* loco, ſubſternere. De *cauſali efficacia* vero dum loqui-

quimur, intellectam volumus, non tàm ſolam exquiſitam cognitionem *cauſarum* talium *à priori*; ſed etiam *effectuum* earundem, & ad hos procedentium progreſſuum: dum utique ex his ipſis, non contemnendâ cognoſcendi ratione atque methodo, multum, ut â *poſteriori*, colligere & concludere liceat, de ipſo *priori*, nempè ipſarum illarum *cauſarum*, ſi non abſolutè *proprio*, tamen *reſpectivo* habitu: circà quem Ars noſtra paſſim plurimùm utiliter occupata eſſe debet.

§. IV.

Conſiderandum itaque, primo omnium loco, de *Febribus malignis contagioſis*, venit, quod *cauſa* illarum, *phyſicè-materialis*, ſit materia quædam longe *tenuisſima*; & proinde *mole* etiam *paucisſima*: *activitate* verò *efficacisſima* atque potentisſima. Unde eſt, quod, *tenuitatis* illius atque *paucitatis* intuitu; ſub *inviſibilis*, imò *omnes ſenſus* ſubterfugientis, *halitus* etiam formâ, in corpus humanum inſinuari poſſit: & tamen, *activitatis* illius intuitu, & *præſentisſimos*, & *latisſimè graſſantes*, pesſimos effectus, producere posſit atque ſoleat.

§. V.

Hujus ipſius autem præſentisſimæ atque potentisſimæ efficaciæ reſpectus, & cognoſcendus, & notandus etiam venit in eo, quod proinde totus talium Febrium *decurſus*, & ſive ad *ſalutem* adhuc, ſive inprimis ad *mortem*, progreſſus atque exitus, *brevi temporis ſpatio* abſolvatur.

§. VI.

Quod autem indolem *efficaciæ* ejus, reſpectu mutationum corpori humano inducendarum, concernit; eſt *materialis* horum morborum cauſa, energiæ, *in genere* quidem, *citò*, & per *fermentales* progreſſus, *corruptivæ*: *ſpecialiùs* autem, *putredinoſæ*. Id quod inprimis eminentisſimè in ipſâ *peſte*, ſeſe exerit; ubi non ſolùm *concentratior* hujusmodi effectus ſeſe ſiſtit in corpore adhuc *vivo*; *carbunculis*,

præcipiti lapſu in *putredinem ſphaceloſam* ruentibus: ſed etiam in cadaveribus hoc malo enectis, citatisſimis progresſibus in univerſalem putredinem tranſeuntibus. Cui non nimium abſimilis eſt corruptio, ê *variolis*, malo ægri regimine malè tractatis atque obſervatis. Ubi ſimiliter non adeò longe abeſt *ſphaceloſa* corruptio, quin ſubinde exempla ejus, utut non tanto cum impetu, quemadmodum in ipſâ *peſte*, inveniantur. Tantò magis autem circà intimiora corporis, oblatis ſcrutandi occaſionibus, deprehendantur.

§. VII.

Ex utràque hâc conditione *materialis* cauſæ *Malignarum contagioſarum* Febrium; nempè maximâ ejusdem *tenuitate*, & ſub hâc, ſummâ tamen *activitate* corruptoriâ, & quidem *fermentativo-putredinosâ*, fluit *eventus* æquè, ac *effectus* corruptionum talium, admodum *repertinus*: imò veluti *præceps*, in ordine ad tempus durationis, ſeu decurſus earundem. Unde omnes ejusmodi febres, *periodum* formant, vulgò dictam *acutam*; imò aliquæ illarum, nempè excellentiorem gradum ſeu ἐξοχὴν corruptivæ talis energiæ foventes, *peracutam*. Quarum *prior*, *ſeptem* dierum ambitum, *poſterior* dimidiam hujus temporis partem, nempè tres & dimidiũ, ſive ut vulgò eloqvuntur, *quartum* diem (*currentem*) pro termino fatali agnoſcunt. Intra quem vel ad mortem pertingit, infeliciore ſucceſſu, vel ad ſalutem, vergit, totus harum eventus: certiùs & ſinceriùs, adeòque etiam ſecuriùs, ſi intrà tale tempus ἔκκρισις conveniens, ſatis liberè facta fuerit: ancipiti adhuc, & minus fido eventu, ſi hæc langvidiùs aut minus ſufficienter ſucceſſerit.

§. VIII.

Nempè ex hoc eodem fundamento, *depulſio* hujus materiæ, tàm ê toto corpore, quàm ad minimum â *nobilioribus* ejus partibus, abſolvenda venit, partim *phyſico*, partim *morali* effectu & eventu. *Phyſico*, dum materia *tenuisſimæ* conſi-

ſiſtentiæ, humorum latifundio interſperſa, & in *halitum* planè reſolvi apta, nullam utique melius *proportionatam viam*, pro ſui evacuatione, in toto corpore invenit, quàm *ampliſſimam* corporis *peripheriam*: per quam vel *halitus* formâ, cum reliquâ tranſpiratione, iterum divaporare poſſit: vel ad minimum per eandem *ſparſim obhæreſcere*, & ibi *malignam* illam ſuam corruptivam efficaciam, minore cum periculo, abſolvere. Siquidem, *moralis* utique æſtimationis intuitu, utiliùs longè atque tolerabiliùs hoc eſt, ſi utique *corruptivus* talis effectus non planè evitari poſſit, per liberrimam & pleniſſimam totius hujusmodi materiæ, evacuationem, ſub tenuis halitus formâ, antequam effectum aliquem noxium humoribus impreſſerit, ne dum ipſis jam partibus innidulata ſit: nimiò tamen utiliùs, inquam, utique fuerit, corruptionem talem ad *ignobiliores* potiùs partes, per ambitum corporis, devolvi, quàm *nobilioribus*, & magis directè atque proximè ad conſervationem *vitalem* pertinentibus, incumbere.

§. IX.

Unde nempè eſt, quod non ſolùm *variolæ* & *morbilli*, *tempeſtivo* quidem, ſed tamen *placido* & *tranquillo*, progreſſu, ad *ſuperficiem* corporis efflореſcentes, & ibi efficaciam ſuam acriter ulceroſam, aut ſubtiliter cauſticam, exſequentes & abſolventes, ſaluberrimè decedant, & corpus ſanum poſt ſe relinquant: ſed etiam ipſa *Peſtis*, *carbunculis*, vel ad minimùm *bubonibus*, circà exteriores corporis partes productis, jam longè propior ſit ſpei ſalutis, quàm quæ nihil ejusmodi exerens, ſolis *internis anxietatibus & anguſtiis*, *per præcordia*, aut *capitis* graviſſimis perturbationibus graſſans, ægros non ſolùm certo, ſed etiam præpropero, exitio ſubjicit.

§. X.

Quod enim *peſte* correpti, etiam ipſis *Carbunculis* paſſim adhuc ſuccumbant, fit partim ex eo, quod *carbun-*

B 2 *culi*

culi tardiùs erumpentes, totam labem materiæ pernicioſæ non complectantur; ſed magnâ ejus parte humoribus adhuc inhærente, particulari tali ſeceſſione, nimis parum de totâ damni quantitate exhauriant: partim, quod ipſa etiam velociſſimè *ſphaceloſa putredinoſa* horum corruptio, ægros denuò, à tali particulari acerrimâ corruptelâ, ad univerſaliorem reducat: cum etiam minus *rabidus* atque *rapidus*, *ſphaceloſæ* corruptionis ſimplicioris, proceſſus & progreſſus, eandem efficaciam paſſim aſſequatur, ſi maturè occupari atque ſiſti non poſſit. Nempè, eluceſcente etiam hoc in caſu, *phyſicâ* planè energiâ lethiferâ, morborum *acutorum* potiùs, quàm *Febrium acutarum*: ſicut hanc diverſitatem, contra erroneam textus *Hippocratici* ſententiam, peculiari diſſertatione, *de Morbis Acutis Veterum* Dn. D. Præſes ex inſtituto enucleavit. Quantam autem efficaciam omninò habeat hæc noxiæ materiæ, à partibus *nobilioris*, imò longè *nobiliſſimi*, *uſus vitalis*, ad *ignobiliores*, eliminatio, diluceſcit etiam ad ipſum usque ſenſum, è *retroceſſione* hujusmodi exanthematicarum, ad ſuperficiem corporis extruſionum; utpote quas, & certò, & citò, lethalis eventus, cum viſcerum corruptione, non minùs, aut ſegniùs, ſequitur, quàm ſi extruſione tali non perpetratâ, noxiæ illæ materiæ ſimpliciùs intra corpus relictæ atque retentæ fuiſſent. Adeò, ut etiam ex hoc ipſo phœnomeno, veritas *utilitatis* hujusmodi excuſſionum, facilè dijudicari poſſit.

§. XI.

Quibus rebus ita ſe habentibus, & indè formatâ earum contemplatione, ſimpliciſſimæ rationi conformi, nulla reſtare poteſt difficultas, quin tàm *poſitivè* inde formari poſſit vera *methodus*, Febres tales *Malignas* rectiſſimè tractandi, & decente Therapiâ oppugnandi; quàm *privativè*, omnes *errores* circa hoc negotium, facilè agnoſci, atque evitari. *Prius* enim quod attinet, dictabit utique ſana, & ipſa ſimpliciſſima planè, ratio, quod expulſio materiæ, ſub *halituoſâ*

tenu-

tenuitate in corpus inſinuatæ, non modò nullâ *meliore*, ſed certè nullâ *aliâ*, ratione atque methodo, è corpore iterum expelli poſſit, quàm tali, quæ eandem in hac ipsâ, *halituosâ* inquam, formâ atque conſiſtentiâ, educat. Cujusmodi nempè effectûs, nulla alia *excretionis* ſpecies compos eſſe poteſt, quàm illa, quæ per liberam, & moderatè auctam, *tranſpirationem*, procedit.

§. XII.

Sicut autem hæc expulſio, locum diutiùs non invenit, quàm quamdiu materia hujusmodi ſummè noxia, adhuc *libera* in corpore vagatur; & nec *humores*, neque *ſolidas* corporis partes, peſſimâ ſuâ efficaciâ jam affecit, & quantumcunque corrupit: Ita, ſi etiam effectum hujusmodi jam aliquatenùs occœperit, eſt tamen *proximus* adhuc *ſalutaris* motus, eandem cum *pauciore* adhuc, jam ad *aliqualem* corruptionem deductâ, quantitate humorum, ad minimum à *nobilioribus* partibus, *internis* vitalibus, ad *exteriores*, tum *uſu*, tum *damno ignobiliores*, expellendi.

§. XIII.

Interim, *ſecundò*, neque illud ſanæ rationi minus luculentum eſſe poteſt, quod utique univerſa hujusmodi *depulſio* & *expulſio*, non poſſit temerè abſolvi, *importuno* quodam atque *brevi* impetu. Cum enim *pauca* atque *tenuisſima* ejusmodi materia, non concipi posſit tanquam *conglobata* aut concentrata, in maſsâ humorum alicubi hærere; ſed potiùs longè latèque per eandem *diſperſa* vagari: reſpondet propterea etiam ipſi ſimplici ſanæ rationi, quod ipſa quoque *halituoſa*, materiæ hujus ex humoribus *evaporatio*, n nniſi ſatis *diuturno* ſucceſſu, expectari aut ſperari posſit. Quo intuitu etiam *regimen* tale diapnoicum, neceſſariò & *diuturnum*, & hoc ipſo *moderatum* eſſe debere, eadem ſimplex ſana ratio ſuffragatur.

§. XIV.

Confirmat hanc rem tantò certiùs, hodiè per totum cognitum orbem terrarum notiſſimum exemplum, *Variolarum* atque *morbillorum*; utpote quæ exanthemata, ita ſibi relicta, ut ſolùm improvidâ aut impatiente frigoris captatione non *impediantur*, ita exquiſitè *tertio* ad quartum, â ſenſibili initio, die, eruptionem ſuam inchoare ſentiuntur. Ita, ut reverà minore cum periculo proſperi ſucceſſus, *tardiùs* potiùs aliquantò, emicent, quàm *velociùs*. Et cum, præterea, ab illo eruptionis ſuæ primæ, ſeu *apparitionis*, initio tali, ſibi conſtantes, ad *ſeptimum* usque diem, plures pluresque prorepere ament, proſpero atque *ſalutari*, optimi decurſus expectandi, ſigno: ſi hîc etiam, quacunque tandem de causâ, importunius propellantur, aut propullulent, nunquam tàm felici ſpei aut præſagio præbent locum, ſed ſemper, & acrius Patienti inſiſtunt, & ambigui eventus juſtum metum faciunt. Ut adeò, ex hoc etiam, conſtantisſimo planè, horum exanthematum more, ſummo jure, & colligere liceat, & concludere, quod hæc ſpecies *malignæ contagioſæ febrilis materiæ*, non ſolùm per ſanam rationem, *brevi* aliquo impetu excuti non posſit; ſed etiam planè *exquiſitam* menſuram temporis, non ſolùm ipſa obſervet, verum etiam eandem temerariâ arte ſibi eripi, nullatenus patiatur.

§. XV.

Quemadmodum autem ex his conſiderationibus ſatis dilucescere poteſt, 1) quod quidem *tenuis* illa materia, quæ *malignarum contagioſarum* Febrium fomitem conſtituit, *craſſis* evacuationis methodis & ſchematibus, propulſari non posſit; interim 2) â *nobilioribus, internis*, partibus, ad *ignobiliores, externas*, promoveri: quâ ratione 3) aut ſub formâ *halituosâ* penitus diſcuti, & è toto corpore eliminari queat, aut ad minimum propiùs circa *ſuperficiem*, quacunque tolerabilioris corruptionis formulâ, ut vulgò loquuntur, *matureſcere*: quod ipſum tamen 4) *brevi* aliquo *impetu*,

ta, præſertim ſub formâ *ſudoris* guttatim profluentis, abſolvi poſſe, rationi repugnat: ſed potiùs 5) ratio aliqua *criſeos*, in tempus *circumſcriptum* diſtributæ, obſervanda veniat; præcipuè ſecundùm diverſitatem *ſpecierum* ejusmodi contagioſarum Febrium. Ita dictitat tamen eadem ipſa utique ſana ratio, quod *in genere*, ſicuti *feſtinatio præmatura* evitari, ita tamen etiam *cunctatio* negligens, nequaquam admitti, debeat; ſed potiùs totum negotium ita adminiſtrari, gubernari, & regi atque geri poſtulet, ut *Medium* illud ſalutare teneatur, inter *præmaturam feſtinationem*, & *ſocordem cunctationem*, aut quæ pejor adhuc eſt, legitimi tempeſtivi ſucceſſus *impeditionem*, *turbationem*, aut planè *repreſſionem*.

§. XVI.

Hic ſcopus, uti unicus eſt verè *ſalutaris*, ita executio ejus præcipuam utique *difficultatem duplicem* involvit; unam, ex parte ægrorum: alteram ex parte medicationum. *Ægros* quod attinet, eſt illud in genere certiſſimum, quod, cum legitimus atque ſalutaris decurſus febrium, inprimis *continuarum* quarumlibet, opus ſit ipſius *Naturæ*; hæc per individua, tum *ſponte* (ſine phantaſiæ & voluntatis conſciæ concurſu) diverſimodè ſeſe gerat: tum per inordinatos *mores*, & immorigeram *voluntatem* variorum ægrorum, varias etiam anomalias inducat.

§. XVII.

Unde, *prioris* intuitu, ægri *ſanguineæ* indolis & *ſanguineo cholericæ*, imò ipſius *cholericæ*, in omnibus *malignis contagioſis*, minus minusque *tranquillè* atque *ordinatè*, etiam *ſpontaneis* illis, (*involuntariis*) motibus & progreſſibus, ſeſe gerunt: Dum priores, *anxiis*, poſteriores *impetuoſis*, *præcocibus*, imò *ferocibus*, motuum vitalium agitationibus, moderamen mediocritatis admodum facilè & familiariter transgrediuntur. *Phlegmatici* dicti, nimiâ *tarditate*, & vel negligentiore, vel timidiore, & quaſi deſperabundâ debitorum

torum motuum activiorum adminiſtratione, adeòque *defectu*, à verò & neceſſario ſcopo aberrant. *Melancholici* vero qui dicuntur, *ſemirationalibus*, *patheticis*, *timidis* atque *anxiis* trepidationibus, facilè asſiduitatem atque circumſpectiorem ordinem, ipſorum indoli aliàs familiarem, temerant.

§. XVIII.

Poſteriore vero reſpectu, *ſanguinei*, *cholerici*, & *mixtæ* indolis, ægri, primi *anxiâ*, alteri *importunâ* atque *temerariâ*, tertii *fluctuante* inter has turbas, *impatientiâ* & incontinentiâ, debito moderamini & regimini, circa frigus & calorem, *quietam* corporis continentiam, & *diuturnam* ſatis æquabilis & continuæ tranſpirationis *continuationem* & continuitatem, plus minus, imò familiariter nimiò plus, immorigeros ſeſe præſtant. Quin etiam circa *aſſumenda*, tàm *potulenta*, quàm *medicamenta*, inconditos illos ſuos mores, appetitus, & affectus, malè gubernant: quin vel frigidis potibus impatienter indulgeant aut inhient; & denegationem aut prohibitionem, ægrè, indignabundè, imò iracundè, ferant: vel (*ſanguinei*) medicationes *citatas* & *cumulatas* efflagitent, aut proprio auſu accumulent & ingurgitent: vel (*cholerici*) etiam *feſtinatas*, tàm exigendo, quàm exercendo atque urgendo, periclitari malint, quàm tempeſtivis & patientibus procesſibus obſequi, & morem neceſſarium gerere.

§. XIX.

Quibus utrisque rebus immane pondus adjicit, illa *materialis* conſtitutio corporum, ſi boni etiam atque floridi ſanguinis inſigni *abundantiâ* prægravata ſint; ſub quâ conſtitutione, tàm circuitus ipſe ſanguinis, & neceſſarium ejus (pro *accelerandis*, quantum *ſatis* eſt, ſecretionibus & excretionibus) augmentum, quàm ipſæ ſecretiones & excretiones, impeditius procedunt: tum etiam plus materiæ, *corruptioni* malignæ magis immediatè expoſitæ atque

que ſubjacentis, hoc ipſo abundat. Quod quidem incommodum, certè longè præponimus, *alteri*, quantumlibet ipſi quoque non contemnendo; quod nempè eſt, verior aliqua *dyſcraſia*, ſeu *qualitatis* vitium in maſsâ ſanguineâ. Peſſimum autem, extra controverſiam, quàm utraque prædicta, & vix unquam bonæ ſpei locum relinquens, eſt quodcunque vitium in *ſolideſcente texturâ* atque ſtructurâ *viſcerum*, in quibuſcunque ægris jam *præexiſtens*, dum *contagium* hoc malignum illis ſupervenit. Cui tamen non æquè multis paraſangis poſterior eſt, etiam *adſuetudo* peculiarium *motuum translatoriorum*, atque excretoriorum *inordinatorum*; *hæmorrhagiarum*, *vomitionum*, *diarrhœarum* & *rhevmatoδεων capitis dolorum*, *pectoris infarctuum*, atque *tuſſium*, *fauciumque* atque *aurium* affectuum. Quæ omnia atque ſigula, ad valdè perverſos & calamitoſos ſucceſſus & eventus, *malignarum contagioſarum* materiarum febrilium, immane quantum ponderis conferunt.

§. XX.

Accedit his prægrandibus incommodis, inſuper illud, quando ægri, *contagio* tali infecti, vel non ſatis tempeſtivè hoc *perſentiſcunt*, adeòque neque ſatis *maturè* ſibi proſpiciunt; vel, utut perſentiſcant, tamen non convenienter ad illi debitè occurrendum, ſeſe componunt, & res ſuas ordinant atque inſtruunt. Ubi certè incondita illa perſuaſio, malâ profectò fortunâ, tot ſeculorum decurſu, *reclamanti innumerorum exemplorum experientiæ*, obſtinatiſſimè refragans, maximam fortè ſtragem edidit, & perpetuò, quamdiu regnabit, edet. Quod nempè, partim in *inconſideratis violentis ſudationibus*, partim in *fervidis* ſanguinis *commotionibus*, per *calidiora* remedia *alexipharmacorum* cenſui adſcripta, præcipuum, imò *unicum*, præſidium aut ſubſidium invenire liceat. Dum enim ægri, proprio, aut alieno *imperito*, conſilio, talibus rebus mox in principio ſeſe mancipant, mirum deinde non eſt, ſi ſanioribus conſiliis,

& melioribus auxiliis, rarò deinde locus, aut ſalutaris effectus, reſtitet.

§. XXI.

Antequam autem ad applicationem harum rerum, pro *cautelis* rectæ rationi conſentaneis, ad *evitandos Errores* circa hujusmodi *malignarum contagioſarum* Febrium tractationem, progrediamur, non indigno, *poſtremo* inter hactenus notata, loco, dicendum venit, de verâ æſtimatione *Alexipharmacorum*, fallaci eorundem deprædicationi atque venditationi opponendâ. Ubi nempè debitâ prudentiâ perpendere convenit, verum nervum *laudationis* Alexipharmacorum. Deſignantur per vocem *Alexipharmaca*, velut eminenter, medicamenta *venenis* reſiſtentia. Inter *venena*, non poſtremo loco, neque verò etiam immeritò, collocantur *miasmata maligna contagioſa* febrilia; Cum *veneni* vox, etiam *in genere* conſiderata, nihil aliud denotet, quàm materiam, non ſolùm *parvâ quantitate* ad *valdè noxium* effectum idoneam; ſed eundem etiam tàm valdè *promptum* & *præproperum*, quàm *difficillimè reprimendum*, imò ubi quantumlibet invaluit, non *reſtinguendum*, aut *reparandum*, ſeu in integrum reſtituendum. Tali itaque efficaciæ quæ deſtinari debent remedia, neceſſe eſt ante omnia, ut effectum, qui illis adſcribitur, aſſequantur, primò *in genere*; ſecundò hoc ipſum vel præſtent *directè* & *immediatè*; vel, tertiò, *mediatè* quidem hoc præſtent, ſed ita tamen, ut per experientiam *nihil æquivocam*, ſed potiùs ſatis *univocam*, ſimplicem, & conſtantem, fiduciam in illa collocare, juſtum ſit atque integrum.

§. XXII.

Hujusmodi remedia, & quidem ipſius *primi* allegati ordinis, quamvis in ipsâ rei veritate oppidò *pauca* allegare liceat, adeòque ſano ſenſu, verè *rara*; non tamen planè nulla inveniri, teſtantur exempla illa, quæ, quicquid etiam Recentiorum aliqui hîc dubiorum moveant, tamen eviden-

videntis experientiæ teſtimonio non deſtituuntur. Nempè efficacia *certa*, atque conſtans effectus, *olei ſcorpionum* adverſus ictum hujus inſecti: efficacia pulveris *ſerpentum* atque *viperarum*, contra morſum horum animalium, ſi in tempore aſſumatur: denique efficacia *hepatis*, aut juxta *Gockelium* in obſervationibus, *cordis*, *canis rabidi*, adverſus morſum talis animalis. Cum enim ictus tales atque morſus, niſi remedium tale tempeſtivè illis opponatur, certiſſimas æquè, atque graviſſimas noxas, imò totius vitæ certiora pericula poſt ſeſe trahant; adhibitis autem his remediis, adeò omni deteriore ſucceſſu careant, ut etiam nullam aliam, quàm *ſimplicis* omninò puncturæ aut vulneris, rationem retineant: Diluceſcit ſanè inde veritas efficaciæ talis *directæ* & *immediatæ*, adverſus corruptelam illam eximiam; quæ ſecundum ante notatas circumſtantias, *veneni* ſeu *venenoſitatis* nomine denotari ſolet. Unde, quicquid etiam aliquibus de *oleo Scorpionum* videatur, quaſi non tàm compoſito illo, quàm *ſimplici* potiùs ſtatu, effectum talem edat; i. e. quaſi etiam *ſimplex* oleum olivarum, ictui *ſcorpionum* æquè feliciter ſatisfaciat: ibi, ut experimentum temerè capiendi, nemini autores eſſe voluerimus, ita ſi tamen etiam experientia opinioni huic ſuffragaretur, aſſerenda omninò veniret hic etiam oleò olivarum, *directa* & *immediata* vis *alexipharmaca*, adverſus hoc genus venenoſæ efficaciæ. Cum enim oleum olivarum, aliis quibuscunque *inflammationibus*, *inflationibus*, *ardoribus* & *doloribus*, neque tàm *certam*, neque tàm *præſentaneam*, opem præſtet, uti hîc, per ſcorpionum oleum, tàm *præſervativè*, in modo facto ictu, quàm, *curativè*, gliſcentibus jam pejoribus illis effectibus, reverà præſtat: facilis inde eſt concluſio, quod non tàm *ſimplicem communem*, quàm potiùs *directam ſpecificam*, efficaciam, hîc etiam exhibeat atque exerat.

§. XXIII.

Quod autem *æquivocos* illos, *mediatos*, & per *indirectum* demum ſalutares, effectus attinet, cum tales non niſi cum circumſpectâ atque benè ordinatâ *methodo* obtineantur; hac vero ignoratâ aut neglectâ, expectationem omnem fallant: meretur, puto, hæc conditio, attentiſſimam utique conſiderationem, ne indeterminatis illis, & theatralibus potiùs imò ſtentoriis oſtentationibus, infelix illa *ſecuritas*, non tàm ſolùm plebejo, quàm medico, trivialium Practicorum, vulgo, imprimatur, quaſi remedia ita decantata, ſine ulteriore *obſervatione*, *vigilantiâ*, *ſubordinatione*, atque *gubernatione*, ita *ſufficiant*, ut nihil, neque in *Naturæ*, nec *Artis poteſtate*, ſuperſit, ſed *ſcientiæ* æquè atque *conſcientiæ* abundè ſatisfactum ſit, ſi modo remedia talia, nudè *empiricâ* ratione, præſcripta, exhibita, ac adhibita fuerint.

§. XXIV.

Quo loco nemini prudentiori moleſtum eſſe poterit, ſi è Programmate *de Criterio Experimentorum Medicorum*, breviter repetamus, juſtiſſimam illam, admirationem potiùs, quàm dubitationem, unde orta eſſe potuerit audaciſſima illa aſſertio, quod *totus cervus ſit alexipharmacus*; audaciſſima inquam, tamdiu ad minimum, donec exemplis, & experimentis, *non æquivocis*, demonſtratum fuerit, cui *uni* venenorum generi, ne dum *pluribus* indifferenter, *unum*, ne dum plura, è toto Cervi corpore, remedium, certam atque fidam, in qua ſecurè acquieſcere liceat, opem præſtet. Quod idem tantò magis de *Unicornu* valet. Quod ipſum, cum ab *antiquariâ* potiùs ad hunc diem, quàm *antiquâ*, fabulâ, in omnibus formulis præſcribi ſueverit, *Unicornu Verum*: quod ipſum tamen, in toto cognito orbe inveniri, adhuc in dubio verſatur; in Pharmacopoliis autem non inveniri, omnibus notum ſit: qua fronte *Marinum* illud, in eandem prorſus dignitatem aſſeratur, & temerè, ſummo jure dubiæ illæ virtutes, *Vero* olim, ſive affictæ ſive ad-

adſcriptæ, velut ab inteſtato ad hoc *Marinum* transferantur, omnium cordatorum hominum ſincero judicio, tamdiu utique commendandum erit, donec ſolidâ experientiâ demonſtratum fuerit, quod hoc *Marinum* dictum *Unicornu*, (nam de *Foſſili* diſceptare, pudet magis, quam piget), *ulli veneno ullum fidum & ſincerum auxilium* præſtare ſoleat.

§. XXV.

Id quod tantò magis valet de inconditis illis, & jam pridem ipſis Pharmacopœis minus ſtolidè credulis, nauſeam moventibus, *cumulis* infidorum talium remediorum, *Theriacâ*, *Mithridatio*, *Philoniis &c.* Cum enim, ſic ordinante divinâ juſtitiâ, ipſa *peſtis*, hodierno, pro verâ ſcientiâ, ſciolo potiùs, ævo, intra luſtra non ita multa, ſæpiùs tragœdias ſuas agitet: ubi nec *ſimplicium*, nec *confuſorum* potiùs, quàm *compoſitorum*, talium remediorum, larga undique deficit copia: cum tamen nihilominus adeò nihil præſidii in talibus reperiatur, ut potiùs circumſpectior obſervatio teſtatum reddat, quod hujusmodi remediis, ita ſimpliciter, uti temerariæ illæ perſvaſiones jubent, uſurpatis, *damnum* potiùs, quàm auxilium reportetur: inter juſta certè Divina judicia collocandum etiam hoc videtur, quod nihiloſecius, occœcatis potiùs quàm obſtinatis mentibus, falſæ tales traditiones, de proterviâ ſuâ nihil remittant, aut ad meliorem *agnitionem*, ne dum *cognitionem*, reſpiciant, atque reſipiſcant, & non ê ſcholâ ipsâ recordentur, Comici illius: *Tu ſic hic eſſes, aliter ſentires.* Quod quidem ad excitandos animos cordatiores, ſeriò monuiſſe ſuffecerit.

§. XXVI.

His ita præſtabilitis, *prima* ſtatim *cautio*, pro evitando *Errore crasſiore*, occupata eſſe debebit, circà tentandam *materiæ contagioſæ malignæ febrilis*, *eliſionem* ê corpore; ne videlicet hæc, *craſſiore* atque *rudiore* aliquo, *modo* aut *motu*, tentetur. Nempè contra totam indolem *materialem*

lem, ſeu *corporalem* conſiſtentiam, *contagioſæ* illius ſubſtantiæ; quæ, cum *halitus* formâ, *omnes ſenſus ſubterfugientis*, in corpus obrepat, & *mole* immenſum quàm *minimâ*, & *tenuitate ſummâ*, gaudeat, & humorum latifundio ſeſe immiſceat: ipſi certè ſanæ rationi adverſari apparebit, velle materiam hanc, ê *maſſa* humorum, ad *ventriculum* & *inteſtina*, non ſolùm *revocare*, & veluti concentrare: ſed etiam ex his locis, *craſsâ formâ*, aut certè cum craſſis talibus materiis, *vomitu*, aut *purgatione* per alvum, exterminare. Cum potiùs habilitas materiæ nihil aliud admittere appareat, quàm *diſcusſionem*, & *excusſionem*, propriæ illi ſuæ, nempè *halituoſæ*, conſiſtentiæ quadrantem: & præterea, ê maſsâ totâ humorum, in quam *diſpergi*, è multis phœnomenis eluceſcit, reſpiciendo ſimul ad *tenuitatem* atque *paucitatem* ejus corporalem, *ſecretio* & *excretio* ê maſsâ ſangvineâ universâ, certè quolibet potiùs alio *motu*, *modo*, atque *ſchemate*, expectari mereatur, quàm craſſis illis.

§. XXVII.

Ubi, ne temerè fallaciam non cauſæ ut cauſæ animis objiciat, obſervatio illa, in corporibus peſte peremptis, quæ inde ab aliquot luſtris ſermonibus materiam præbuit; dum *ventriculi* & *inteſtinorum* cavitas ſeu ſuperficies interna, *nigra* conſpecta, occaſionem dedit ſuſpicandi, quaſi materia *peſtilens* primam ſuam *ſedem* in his maximè locis occupaverit: Circumſpecta ſanè hujus etiam rei, ſalvâ quàm maximè hiſtoriæ fide, æſtimatio ita inſtituenda veniet, ut ante omnia 1) juſta dubitatio expendatur, an hujusmodi, in uno vel altero ſubjecto reperta conſtitutio, pro *univerſali*, imò ſolùm multis, aut *plerisque*, exemplis parallelâ, adſumi mereatur? Cum fieri utique poſſet, ut aliquibus ſubjectis, talis *inſinuatio* miaſmatis peſtilentis per os, cum *ſalivâ* deglutita, in *Ventriculum* incideret; nullâ vero *necesſitate*, quin ne quidem *probabilitate*, inde confici poſſit, quod talis eventus aut effectus, *plerisque*, ne dum *omnibus*, peſtem incurren-

rem-

rentibus, eâdem *unâ* ratione incumbat. 2) Promptum certè æquè, atque juſtum prorſus, occurret dubium, an talis conſtitutio in ipſis illis ægris deprehenſa, pro *immediato* effectu *materiæ peſtilentis*, ita haberi mereatur, ut illa *primò* & *immediatè* in ventriculum illapſa, in illo & *ſedem* ſuam fixerit, & *effectum* ſuum ediderit; an verò potiùs, longè magis *mediatè*, per *retroceſſionem* ad hæc loca ê ſangvineâ maſsâ, effectus tales aſſecuta ſit: imò denique ipſi tales *effectus*, non tàm *ſoli* in ipſis illis corporibus, agnoſci potuerint atque debuerint; ſed ſolùm *inter alios* per reliquum corpus, etiam hi evenerint. 3) Si quàm maximè certum atque verum eſſet, quod, ſi non *univerſaliter*, tamen per quotcunque tandem individua, venenum illud contagioſum in *ventriculum* primum ſuum aditum invenerit; quæ tamen inde *connexio* juſta formari poterit, ad talem craſſiorem methodum, illam inde iterum elidendi atque ſimpliciter excutiendi? Cum non ſolùm conditio ipſius talis materiæ, hujusmodi remedio non reſpondeat; ſed etiam ipſa illa *profunda* in ſubſtantiam ventriculi *efficacia*, ſatis teſtatum reddere poſſet, quod non diu liberè in *cavitate* ejus fluctuet, ſed altiùs in *texturam* ejus inſinuetur, quàm ut *crudo* atque *nudo* iterum *exantlari* poſſet *Vomitu*. Ad quas res cum 4) etiam illud accedat, quod utique *Vomitus*, præſertim *artificialibus ſtimulis* provocatus, tantâ *vehementiâ* corpus exagitet, ut, niſi directo aliquo effectu, in rei veritate eximium aliquod operæ pretium faciat; incommoda reliqua ab illo expectanda, plurimum præponderent leviori, nedum planè fortè inutili, ejus effectui: meretur certè etiam propterà, præcipuè in ſubjectis, vel corporis texturâ, vel ex ipſo morbi genio, *ſenſibilioribus*, prudentem planè contemplationem, ne bona, ſed non ſatis providè librata, intentio, ſucceſſum ſortiatur planè contrarium. Quibus adhuc 5) etiam illud adjici poſſet, quod per mordicùs adhuc ubilibet propemodum retentam, ſecuriſſimam illam fiduciam in

ale-

alexipharmaca medicamenta; ſi hæc ad edomandam venenatam illam materiam nihil valerent, ubi *immediato contactu* peſtilentem materiam ita aſſequi liceret, certè minimi pretii ſummo jure haberi deberent: ſi verò hoc præſtare poſſent, *inutilis* certè ita foret vehementior hæc medicatio, aut certè nihil usquam *neceſſaria*. Per quæ omnia, non ſolùm opinio illa, quod *materia contagioſa ventriculum* familiariter obſideat aut occupet, in dubium juſtiſſimum vocatur: ſed etiam uſus *Vomitoriorum*, quantumcunque *directus*, in hoc morbo, ſubleſtæ prorſus fidei evadit. Adeò, ut etiam potiùs *indirectus* Vomitoriorum uſus, niſi ſummè *tempeſtivè* illum periclitari liceat, ipſius ſecuritatis nomine meritò ſuſpectus evadat: & nimiò conſultius videatur, niſi quidem hæc etiam inania haberi mereantur nomina, per alia quæcunque *correctiva*, (immediato contactu utique effectum ſuum tantò faciliùs atque certiùs aſſecutura) materias tales ſuſpectas *cicurare*, quàm ſimplici, ſed *turbulentiore* ac *impetuoſiore*, concuſſione, *capiti, pectori*, ipſi *ventriculo, viribus*, & planè aliò inclinandis depulſionibus materiæ peſtilentis, varias turbas & anomalias inducere.

§. XXVIII.

Longè enim certè alia res hic agitur, quàm in *craſſioribus*, & ſimul minus *profundæ* penetrationis atque diffuſionis compotibus, quantumcunque de reliquo etiam *deleteriæ* efficaciæ, materiis, in ventriculo tragœdias ſuas exercentibus. Qua de re memoriæ ſuccurrit exemplum, à dignioris officii militaris Viro, ante plures jam annos mihi Præſidi memoratum; dum aliquot turmales, in ipſis caſtris æſtivantis exercitus, graviſſimis *cardialgicis*, & mox *convulſivis* ſymtomatibus correpti, ita citò emoriebantur, ut *venenatæ* alicujus cauſæ juſtiſſima naſceretur ſuſpicio. Ad quam qualitercunque indagandam, unius & alterius cadaver apertum, diſſecto ventriculo, oſtendebat ſuperficiem

ficiem ejus nigredine totam infectam; ſimul verò *tenaciſſimum* liquamen, cum conſpicuis adhuc fruſtulis *fungorum*; quos infelices hi per vicinos campos atque juga, pro *eſculentis*, *deleterios* collegerant & comederant. In qualibus, venenatarum *craſſiorum* rerum variarum per os aſſumtarum, caſibus, præferendus utique facilè judicabitur, modo quantum licet *tempeſtivus*, *vomitus*; *langvidioribus*, & familiariter *incertioribus*, *antidotariis* tentaminibus. Quæ verò res longè abeſt ab indole, & tàm efficaciâ, quàm jam impetrato effectu, *tenuisſimarum halituoſarùm*, & penetrantisſimè *orgaſticarum*, *contagioſarum malignarum* febrilium materiarum.

§. XXIX.

Aſſeveravit quidem, mihi Præſidi, Chirurgus, in Regiomontanâ, & aliquot adhuc circum, locorum, peſte, publicis ſtipendiis perfunctus, quod in illis, qui à *propenſione* ad vomitum quaſi *prima initia* ægritudinis oſtenderint, tempeſtivè exhibita *vomitoria*, viſa ſint egregium operæ pretium feciſſe, & aliquoties velut in ipsâ, ut ajunt, herbâ, malum ita ſuffocaſſe, ut longè minore negotio & periculo ſalutaris eventus impetratus ſit: interim, uti magnâ cum modeſtiâ de hac ipsâ re, ut in genere, loquebatur; nempè non æquè ad *ingentem numerum* exemplorum rem totam extendere pertinax: ita ſatis diſcretus, ut *in ſpecie*, de illo ſolùm caſu loquebatur, quem ipſis verbis jam expreſſimus, nempè ubi inſignis *propenſio* ad vomitum, & quidem mox *ab initio*, ſeſe exeruiſſet. Unde in ejusmodi narrationibus non tàm *verba*, quàm verum illorum *ſenſum*, non tàm captare, quàm capeſſere, convenit: neque à valdè *conditionatis* ejusmodi obſervationibus aut relationibus, mox ad *abſolutas* explicationes, applicationes, & pesſimè fundatas rumorum talium, non tàm propalationes, quàm, *propagationes*, ſaltum facere: &, quod ſub *ſpecialisſimis* circumſtantiis, uſum fortè habere poſſet, (quamvis neque ipſum abſolutæ conditionis;) il-

lud ſtatim non ſolùm *abſolutæ utilitatis*, ſed propemodum *neceſſitatis*, elogio dignari.

§. XXX.

Catharticas equidem *evacuationes*, præſertim *quâ tales*, non meminimus ullum adhuc cordatum Medicum ad affectus febriles continuos acutos, ne dum *malignos contagioſos*, laudaviſſe: ne dum ita *in genere*, ut conquiſitas volaticas quasdam, apud paucos, & propemodum ſuperficiarios ſcriptores, narratiunculas, mox ad *univerſalitatis* dignitatom revocaret. Unde fortuitas tales ſpeculationes, & nimium ſecuras, ne dicam temerarias, perſvaſiones, nemo puto facilè ad animum admiſerit, quibus ejusmodi auſibus, planè ſalutaris efficaciæ dignitas defertur. In *exanthematibus* certè *abſolutè* talibus, *variolis* ante omnia, & *morbillis*, ſolus fortè fuerit *Hartmannus*, qui *pulverem Cornachini*, non ſolùm *privativè*, absque damno, puero *variolas* parturienti, datum fuiſſe recenſet; ſed eò etiam propendente ſermonis euphoniâ, ſi non emphaſi, ut *poſitivè* potiùs, cum eximio effectu ſalutari, dandum potiùs, quàm ſolùm datum eſſe, innuere, intelligi poſſit.

§. XXXI.

De *Petechizantibus*, *contagioſis* utique, & ſanè *malignitate* non deſtitutis, Febribus, notavit hoc jam ante hos XIX. annos Dn. D. Præſes, *in Problematibus*, ad Hiſtoriam atque Pathologiam Febrium pertinentibus; quod hæ febres, ad *ſpontaneas diarrhœas* non ſolùm propendeant; ſed hæ quoque, minus directi atque prompti periculi inducant: adeò quidem, ut etiam in *comparatione* ad ſuppreſſiones alvi, ſalubriores illas potiùs, cum hæ maximè inſalubres ſint, aſſeveraverit. Interim peſſimè ex hac *comparativâ* exculpatione, *abſoluta* laudatio formaretur, ne dum, tanquam per imitationem juſtam, *proturbatio alvi artificialis* decerneretur.

§. XXXII.

Ubi nempè, quod è *Gerbardo Columba* allegari poteſt,

eſt, *in genere* quidem minimè contemnendum venit, & ſuffragatur experientiæ, à Dn. D. Præſide laudatæ; *in ſpecie* verò, aliam certè attentionem, quàm nudam minus conſideratam aſſumtionem, poſtulat. Notat nempè laudatus ſcriptor, quod in illis febribus, tùm temporis, (nempè ante 120. & quod excurrit, annos,) Italiæ & Siciliæ, (nam Meſſanæ excuſum exemplar adhuc ad manus eſt,) inuſitatis, obſervari potuerit, quod eædem per *ſpontaneam diarrhœam judicatæ*, fuerint. Quantum autem diſtet qualiscunque ἐπιγένεσις diarrhœæ, periculo ante omnia carens, imò in *comparatione*, adſtrictioni alvi adhuc præferenda; non ſolùm à *poſitivâ utilitate* & *ſalubritate*; ſed planè *criticâ* ſaluberrimâ, totius morbi, *per hanc evacuationem* expugnatione: quilibet utique intelliget, cui vera indoles, ratio, & energia, *judicatoriarum* ἐκκρίσεων cognita eſt & rectè intellecta. Unde, ſicuti *criſes*, *certo* morbi *tempori* eminenter alligatas, quolibet intermedio tempore, per artificialem imitationem, & per eandem viam, *præmaturè* certè, moliri, nemo circumſpectus, & *criſium* negotii ſatis peritus Practicus, in animum induxerit; ita fundamento huic conſilium tale ſuperſtruere, nequaquam audebit.

§. XXXIII.

Eſt quidem hìc locorum, imò ſine dubio latius, ſed tamen ex his locis, ſatis nota, utilis efficacia medicamenti cujusdam, quod *Elixiris Polychreſti* nomine, & ſano quidem ſenſu non immeritò, dilaudatum eſt: quod omninò *catharticam* efficaciam exerit. Interim non ſine præcipitantiæ notâ, nemo ad hanc *ſolam* ejus energiam animum dirigere deberet; nempè inſcius planè, concurrentis eximiæ energiæ *alterantis*, cui nequaquam minores effectus, ita competunt, ut potiùs etiam nuda hæc *alteratio*, egregium uſum ibi præſtet, ſine illâ *evacuatione*: è contra verò, nuda illa *evacuatio*, ſine hac *alteratione*, nihil boni poſt ſe trahat. Id quod, cum immaturos tales Ætiologos fugiat,

præſtaret certè, ab hac materiâ potiùs abſtinuiſſe, quàm inſalubria conſilia, inexplorato fundamento ſuperſtruxiſſe. Ut taceamus, quod *ſalubris* uſus dicti remedii, cum inſigni *epicraſi evacuantis*, ſimul exigat *largum* unà *potum*: ſine cujus ſubſidio etiam tota ipſius utilitas, inſignem defectum notoriè patitur. Quam quidem animadverſionem, quod per plures jam annos feci, Præſes, privatis de cauſis ſilentio preſſiſſem, (memor aliàs promiſſi, peculiari ſchediaſmate, *de Uſu Catharticorum in talibus febribus*, ſententiam meam, tàm ab experientiâ, quàm ratione confirmatam, proferendi, niſi inauſpicatò argumentum adversâ viâ interceptum fuiſſet,) interim, cum Publici utique interſit, ut de ſolidiore circà hoc negotium cautelâ conſtet, nemo ſpero cordatus admonitionem hanc vitio vertere, neque poterit, neque volet. Ubi obiter etiam, certè jejunam illam, allegationem *Hippocratici* textus, notare opus eſt, quod *exſolutâ alvo febris ſolvatur*. Cum enim nemo Practicorum neſciat, quod aſſertum hoc ita *ſimpliciter*, veritati nusquam quadret & reſpondeat; cum aliàs facillima hæc utique foret via, febres (nempè ſi de febre quâlibet hoc valeret) expugnandi: inconſideratè certè hoc effatum ita ſimpliciter allegatur.

§. XXXIV.

Neque verò in ipſis febribus *bilioſis*, *cholericis*, ne dum *concluſis*, *καυσώδεσι*, ita *ſimpliciter* locum, ne dum uſum habet, directa *catharſis*. Cum utique nimiò præſentior atque juſtior, ibi quoque ſit, adhibitio *Alterantium* potiùs, *Abſorbentium*; quàm *ſimpliciter Evacuantium*: utpote quæ omnibus etiam reſpectibus, *præcipuas* partes hîc tueri minus poſſunt. Unde certè tantò minus, velut *abſoluta* illa commendatio *catharticorum*, in febribus *pejus moratis*, approbari poteſt. Unde laudanda certè, in febrium *cholericarum* negotio, eſt, peritiorum antiquiorum practicorum ſcriptorum, circumſpectio; qui, dum *ſyrupum roſa-*

rum, *refrigerandi* ſopo, probant, uno tamen ore *ſolutivum* roſarum ſyrupum disſuadent: contenti propemodum, cum *Abſorbentium* ſalutaris efficaciæ minus periti eſſent, *Demulcentibus*, *Lubricantibus*, & quantumcunque velut *Obvolventibus*, nempè *decocto mucilaginoſo hordei*, inſiſtere, ab omni verò commotione *ſtimulatoriâ*, potiùs dehortantes. Quam eandem viam etiam *Sydenhamius* inſiſtit, in *cholericis* turbis largiſſimum uſum decocti tenuis pullorum gallinaceorum ſuadens; nempe *dilùendi* potiùs acrem materiam, quàm ulteriore ſtimulo *incitandi*, manifeſtâ intentione.

§. XXXV.

Succedit his evacuationibus, Evacuatio per *ſanguinis miſſionem* inſtituenda; *Galeni* præcipuè autoritate ſpecioſa, qui in *peſtilentibus* febribus, ſanguinis eductionem *ad animi* uſque *deliquium* laudat. Quemadmodum autem hic gradus miſſionis ſanguinis, nemini arridere videtur, (miſsâ illâ cavillatione, quod æger aliquis etiam aliunde, ſub V. S. animi deliquium incurrere poſſit, cum facilè ſit intelligere, largiſſimam, & quæ omnibus cæteris paribus, animi deliquio propinqua eſſe poſſit, à *Galeno* indicari,) ita certè inconditas illas *parciores* ſanguinis detractiones, nullum hîc operæ pretium facere, adeò communiſſima experientia inter omnes Practicos confirmavit, ut proinde nulla propemodum occurrat magis vexata quæſtio, quàm illa, de uſu miſſionis ſanguinis in *acutis*, ne dum *malignis* febribus. Quâ tamen de re, cum Dn. D. Præſes jam tùm egerit ex inſtituto, peculiari diſſertatione, *de V. S. uſu in acutis Febribus*, eandemque jam tractaverit in ſchediaſmate menſtruo, de *Febris Petechizantis Hiſtoriâ*; non opus proinde eſſe videtur eandem hîc loci denuò repetere, ſed poterit ſufficere, *quæſtiones* ibi ventilatas rectè ad animum revocare, nempe 1) an V. S. in ejusmodi caſibus videri poſſet *neceſſaria*; 2) an ſolùm *evidenter utilis*: 3) aut ad mi-

minimum omni *periculo vacua:* aut denique, etiam inſignis *periculi compos*, aut meritò ſuſpecta. Cæterum, quod etiam jam ſupra ex parte innuimus, uti rebus adhuc integerrimis, in *plethoricis* conſtitutionibus, ſanguinis miſſio, *præſervativum* uſum habere poteſt; non tamen æquè potentem ad totum morbum *avertendum*, quàm *ſecuriorem* ejus decurſum ſperandum: ita *curativum* uſum illi adſtruere, prægnantibus de cauſis meritò diffidimus.

§. XXXVI.

Prolixis ſermonibus à dimidio propemodum ſeculo, materiam præbuit, evacuatio per *Diureſin*; interim, è moribus ſeculi, magis per ſpeculationes, quàm ſolidæ experientiæ commendationem. Quis enim eſt, qui neſciat, quod tota illa ſcena, magis inſtituta fuerit, ad ſalium volatilium urinoſorum commendationem fulciendam, quàm ullâ aliâ de causâ? Interim, quocunque tandem tali intuitu, nulla juſta analogia transferri ad febres quaslibet, ne dum *malignas*, ex eo ſatis diluceſcere poteſt, quod evacuatio materiæ, quatenus *coctæ*, per urinam, non tàm directè *curativum* aliquem effectum aſſequatur, quàm ſolùm ſalutare *indicium* præbeat, materiæ ex intimiore nexu cum humoribus divortium facientis: adeòque non tàm eximiè per hanc *evacuationem*, quàm alias idoneas excretiones proceſſuræ. Unde non ſine prægnante cau: â, Dn. D. Præſes propriâ Diſſertatione diſcernere allaboravit, *ſeceſſionem* humorum, à *ſecretione*, ne dum *excretione*. Ut nempè ſingulis horum ſcoporum, cuique ſuum, rectè tribui poſſit. Unde etiam ipſorum *diureticorum* remediorum efficaciorum uſus, tantò circumſpectius in effectum deduci debet, ne intempeſtivâ *ſtimulatione*, *motus* materiæ copioſioris, ad *urinarias* etiam vias, per totam maſſam ſanguinis, & intimiora corporis, proceſſurus, ab *ignobilioribus* partibus ad nobiliores revocetur, & ſontica pericula inducat. Quam in rem obſervatio, ſi rectè meminimus

Ri-

Riveriana, de calamitoſo effectu *aquæ Petroſelini in variolis*, & in Pathologiâ Dn. D. Præſidis indicata compar hiſtoria, de geminâ efficaciâ *aquæ Fragorum*, in morbillis, certè non ſuperficiariam attentionem merentur. Quo intuitu omnibus potiùs verioribus *Diureticis*, in febribus *malignis*, manifeſtius *exanthematicis*, locum denegamus: ſolo *Nitro*, prudenter tamen uſurpando, excepto: utpote qnod plus valet *alterativâ* ſalutari, quàm *evacuatoriâ* illâ diureticâ, efficaciâ.

§. XXXVII.

Singulis & omnibus huc uſque memoratis remediis, nusquam ferè tàm ampla efficacia, publico conſenſu, tribuitur, quæ æquare poſſit elogia, quæ velut uno ore, *Diaphoreticis* medicationibus adſcribuntur; Interim horum ipſum etiam uſum, artificioſâ *ordinatione* maximoperè indigere, & omnium temporum cordatiores Practici agnoverunt: & conſurgunt paſſim à propiore tempore, qui ſolertius huic rei & animum adjiciant, & ab ipſius experientiæ ſuffragio, teſtimonium perhibeant, ipſi ſanæ rationi facilè applicandum.

§. XXXVIII.

Certè enim nemo, hodiè præſertim ampliùs, ſibi perſuaderi patietur, quaſi ex humoribus in corpore, qualiscunque tandem, præſertim *tenuior*, materia, ita veluti *per transverſum*, quantumlibet etiam mollium, ſolidarum partium, *elabi*, *elidi*, *excuti*, aut *exprimi*, poſſit: ut hac ratione, *parvo* temporis *ſpatio*, tota maſſa ſanguinea, ab hac materiâ, aut quantumcunque tandem præcipuâ majore ejus parte, ita repurgari, exonerari, atque liberari poſſit. Sed proteſtabuntur potiùs omnes, quod hujusmodi effectus, non aliter ſperari poſſit, niſi à *ſucceſſivâ ſeceſſione*, & pededentim quaſi eventuro *diſceſſu*; quem materia talis, à reliquâ humorum maſsâ non aliter aſſequi poſſit, quàm ſub ipſo hujus *progreſſivo motu*, & appulſu ad talia loca, quæ he-

heterogeneis ejusmodi, inprimis autem tenuioribus, materiis, aditum præbere poſſint, ut à reliquâ humorum maſsâ, eò divertere, dilabi, ſecedere, & tandem penitus excedere queant.

§. XXXIX.

Poſtquam autem hujusmodi ſcopo, nullum utique in toto corpore diverticulum, aptius eſt, quàm vel *ſuperficies* corporis, vel *inteſtina*; dum ita latisſimè patens peripheria corporis, utique magnæ copiæ humorum, & nimiò majori, tranſitum perpetuum concedit, quàm arctioris ambitus aliæ quæcunque partes: *Inteſtinorum* autem capacitas, reverà poſt *peripheriæ* corporis externæ latitudinem, proximam amplitudine ſuâ menſuram æquat: manifeſtum hinc eſt, quod ejusmodi ſecretioni atque ſubductioni, nulla alia regio ampliorem campum concedere poſſit. Quamvis enim etiam introrſum ſpectans peripheriæ ſuperficies, *pectoris* & *abdominis*, ſatis ſpatioſam latitudinem efforment; tamen cum vaſa ſangvifera, nempè *maſſam humorum* vehentia, immenſum quantum ab his locis declinent, & potiùs ſemper magis ad *exteriorem* ſuperficiem protendantur atque diſtribuantur: abeſt certè eo ipſo, enormi proportione, facilitas aditûs ad hæc intimiora loca, ab illâ, quæ tota ad exteriora incumbit.

§. XL.

Interim, cum utique liberum aditum periculoſis talibus materiis ad *inteſtina* permitti, tàm horum ipſorum, quàm reliquorum *viſcerum* intuitu, res eſſet ſummi periculi plena; liber hîc autem copioſus aditus, cum humorum maſsâ, etiam unà oberrantis hoſtilis *contagioſæ* materiæ, *tonicis* arctationibus horum viſcerum, maximoperè intercludi & *aliò* reſtringi poſſit, ubi minus extremi periculi, à qualicunque demum hujus efficaciâ, timeri mereatur: fit hoc propterea per inſtinctum illum, naturæ animali à ſapientisſimo Creatore profundè impreſſum, ſicut hujus rei

ma-

manifeſta teſtimonia paſſim præſtò ſunt, & maximè eminent in *variolis* & *morbillis*, ubi familiariter, donec præcipua *eruptio* ad peripheriam corporis abſoluta ſit, non ſolùm *alvus* quaſi *ſponte ſtricta*, adeòque *ſicca*, tenetur: ſed etiam, ſi quacunque de causâ motum humorum importunius ad *interiora* ferri aut provocari, aut ab exterioribus introrſum *repelli*, contingat, toti mundo notisſima eſt periculoſiſſima illa, & plerumque funeſta, efficacia, quæ talem, phyſico-mechanicè quidem promptam atque pronam, ſed *phyſico moraliter* ſeu *finaliter* neceſſariò avertendam & amoliendam, inclinationem, conſequi ſolet.

§. XLI.

Quæ conſideratio, uti rationem, tàm *phyſicam*, quàm *moralem* ſeu *finalem*, *facultati* & *utilitati* hujusmodi motuum, affatim oſtendit; ſimul tamen omninò etiam illud confirmat, quod jam ante diximus, quod nempè etiam hoc ipſo actu, nihilominus DISCESSUS & *ſecretio*, morbidæ materiæ, à bonâ humorum maſsâ, nihiloſecius effectum ſuum, etiam der diffuſum hunc ambitum *peripheriæ*, aliter aſſequi non valeat, quàm ſucceſſivo ſolùm receſſu, qui utique non niſi multorum circuituum interventu abſolvi poſſit.

§. XLII.

Quæ ipſa nempè, ſolers atque exquiſita, contemplatio, facilè præmonſtrare poterit, qui *errores* circa hoc inſtitutum, ex inconſideratâ harum rerum æſtimatione atque adminiſtratione impendentes, omni meliore modo *evitari* debeant, & velut exigant. Sunt autem hi 1) *intempeſtiva* atque IMMATURA (pro diversâ indole contagioſarum malignarum materiarum) *commotio* ad hujus quoque generis, *ſecretionem*, ſeu *ſecretoriam eliſionem* atque *ſepoſitionem*; 2) Cœpti hujus atque inſtituti ſimul & ſemel abſolvendi, PRÆCEPS FESTINATIO, & juſtæ *quantitati* eliſionis talis non ſufficiens *continuatio*: interim 3) *turbatio* potiùs atque *impeditio* legitimi ſucceſſus & effectus: & inſuper 4) tàm irrita *fatigatio* virium,

rium, quàm *depauperatio* prodigè exantlatorum *utilium* humorum. A quibus univerſis *erroribus*, ultimum locum occupat, infelix *effectus* potiùs quàm *eventus*, â *ſalutari* ſcopo ita neceſſariò alienus.

§. XLIII.

Quamvis autem hi *errores*, utpote ſimplici tranquillæ conſiderationi atque æſtimationi adverſantes, mirum videri poſſet, quomodo nimiùm quàm familiariter communi praxi imponant, imò placeant; ceſſabit tamen admiratio, ſi perpendatur, quod 1) *error* hic præcipuè turbæ hominum, â ſcientiâ & arte medicâ alienorum, inprimis inhæreat; 2) licet autem etiam Medicinam exercere audentium, non exigua paſſim turba, eidem obſequatur: tamen 3) *communi* utrique inſiſtant ancipiti fundamento, quod *evacuatio* per *diaphoreſin*, graviſſimis omnium, nempè *peſtilentibus* contagiis depellendis, ita ſalutaris *memoretur*, ut etiam, licet ad proportionem malè cedentium longiſſimè impar, tamen ſeorſim æſtimatus, non contemnendus numerus, exemplorum allegari ſoleat, ubi ægri peſtis invaſionem, non inidoneis indiciis experti, ſolo *tempeſtivo ſudore*, vel â *toto morbo* iterum liberati, vel ad minimùm longè *mitiorem* ejus *decurſum* & ſalubriorem exitum, aſſecuti fuerint.

§. XLIV.

Huic, ut quidem nimiò familiarius eſt in trivialibus experimentis, obſervationi *in genere*, nimis promptè atque crudè inſiſtendo, evenit, ut de exquiſitiore circumſtantiarum perveſtigatione atque æſtimatione, minus ſolliciti homines, committant uſitatiſſimam illam, ut in ſcholis appellant, *fallaciam, â dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter*; & in *corporalibus* rebus, â *facto ſecundum quid, ad factum ſimpliciter*: adeòque, non conſideratâ præcipuarum conditionum exoptati eventus efficaciâ, toto genere *ſalubris uſus* non ſolùm excidant, ſed frequentiſſimè etiam contrarium, nempè *noxium* effectum, introducant.

§.XLV.

Ita enim ante omnia profectò illud nemo, vel ullo experimento confirmabit, quod *Variolæ* & *morbilli*, cum *ſudore* erumpere ſveverint; imò ne quidem communiter, cum admodum ſenſibili ſolùm *totius corporis concalefactione*: cum potiùs tandem aliquando, ad nauſeam moniti atque revocati mortales, eousque animum advertere incipiant, ut, tanto exemplorum numero,,agnoſcant,quod, quantò *tranquilliùs* & *placidiùs*,exanthemata hæc effloreſcunt, non ſolùm nihilo langvidiùs aut *ſegniùs* eruptio hæc procedat: ſed etiam omnia reliqua ſymptomata, per totum morbi decurſum, *mitiora*, & totus eventus à *periculo* æquè, atque eminentibus *incommodis*, longè alienior exiſtat: quàm, ſi vel ſponte, ab ægrorum per individua prægreſsâ intemperie, *concalefactio* ſangvinis major coorta ſit; vel â medicamentis, aut ſolùm regimine, inſignem *calorem* concitantibus, eruptio hæc intempeſtivè *commoveatur*, & *præmaturè* impellatur.

§. XLVI.

In *petechizantibus* non exquiſitè peſtilentibus, tàm inutilem,imò potiùs verè *noxium* effectum nimiæ *concalefactionis*, pro *ſudore*, *præmaturè*, imò reſpectu *Paroxyſmorum*, quales hæc febris format, *præpoſterè*, excitandis,obſervavi multis omninò exemplis, Præſes, non ſolùm multò *copioſiorum* & *coloratiorum* macularum proventum; ſed etiam, *unà* copioſisſimè erumpentes exilisſimas *puſtulas*, non *rotundas* æquè, quàm *inæquales*, *album* quiddam *ſpiſſum*,ſed non *fluidum* aut valdè *molle*, continentes; quales cum vulgo Practicorum, *Purpuram albam*, in ſchediaſmate hujus affectus hiſtoriam commemorante, appellavi: ſub his rebus autem, perpetuò concurrentem & continuantem, *ingentem æſtum*,*ſitim*,*ſiccitatem oris & faucium*, in aphthas deſinentem, *deliria*, *mortem*, in aliis ἀποπληκτώδεα, in aliquibus, præſertim *junioribus*,*convulſiones* prævias inſequentem, & in multis, *poſt mortem*, *eruptiones ſanguinis* è naribus; &

per infundibulum ex ipſo ore largiter dimanantes, cum cadaveris velociore *inflatione* & putredinosâ fermentatione: quorum nihil ſimile eveniebat, ex hoc morbo, in hunc modum non exagitato, ſive morerentur indidem ægri, ſive vitam conſervarent.

§. XLVII.

Ita verò in ipsâ peſte, per juſta Dei judicia, non ſolùm proximis annis hinc inde graſſatâ, ſed quàm maximè adhuc dum eximias Germaniæ urbes infeſtante, tàm *medicamenta*, quàm *regimina*, intemperantius calida, manifeſtiora potiùs damna, quàm ullam vero ſimilem utilitatem, attuliſſe, teſtantur multorum ejusmodi Practicorum conſonæ relationes, quibus de ſolidiore ſcientiâ, & ſolertiore experientiâ, fidem tribuere æquius videtur, quàm tumultuariam magis Empiriam proſequentibus. Quo nomine honeſtiſſimus quidam Vir, è relatione, nullo planè reſpectu præjudicii cujusquam ſuſpectâ, è Viennâ Auſtriæ ad ipſum perſcriptâ, nobis retulit, quod liquidò ibi non ſolùm obſervatum ſit, ſed etiam obſervatione in conſilium versâ, ſalutariter deprehenſum, quod *omiſſio* potiùs, tàm *remediorum*, quàm *regiminum* æſtuoſiorum, funerum frequentiam imminuerit, & vires morbo ſubtraxerit, quàm ut uſurpatio illorum antea familiaris, quidquam tale, ſed potiùs contrarium, poſt ſe traxiſſet.

§. XLVIII.

Quo intuitu, à multis jam annis, auro contra cara habenda nobis ſemper viſa eſt, hiſtoria illa, ſupra jam dum tacta, à *Sydenhamio* memorata; dum nempè poſt Londinenſem peſtem, hyeme finitam, ſequente adhuc anno reſiduis valdè mali moris febribus, quidam, pharmacopolæ frater, tali febre correptus, & ut fieri ſolet, decantatis alexipharmacis abundè inſtructus, ſub reliquâ ſummâ morbi aſperitate, in *vomitus* ita protervos prolapſus erat, ut nihil amplius quod propinaretur, retineret, adeòque deſperatum vide-

videretur malum. Ibi in auxilium advocatus *Sydenhamius*, omnia quidem alia ſeponere ſuaſit; ægrum autem ſolùm, quantum usquam poſſet, quietem ſervare juſſit: ſperans fore, ut ita ſpontaneo exoptabili Naturæ motu, *placida diaphoreſis* eveniret, quâ motus humorum, & cum iis *malignæ* materiæ, ab *intimioribus* ad *ambitum* corporis emoveretur. Quam ſpem, cum eventus etiam felix ſecutus eſſet, non ſolùm *vomitus*, ſed etiam *anxietates* illæ circa præcordia, de horâ in horam imminutæ, cum ægrum, uti communiter fit, non ſolùm fiduciâ, ſed planè ſecuritate, impleviſſent, ut ille propterea *ventilationibus* indulgere occiperet; recurrentes *internæ* illæ turbæ, neceſſitatem diutius tolerandæ atque continuandæ ſimilis *diaphoreſeos tranquillæ*, ipſi facilè perſvaſerunt: quâ in juſtum atque liberum motum reſtitutâ, & per totum illud Nyƈthemeron ita toleratâ, velut è portis mortis revocatus, ad ſalutarem morbi ſui exitum perduƈtus eſt. Quales proinde obſervationes, nimiò majorem attentionem merentur, quàm omnes illæ, à fabulosâ traditione, & huic ſuperſtruƈtâ ſimpliciter empiricâ fide ac fiduciâ, perſuaſiones, tàm de *medicamentis*, cum inſigni *concalefaƈtione* humorum *alexipharmacis*, quàm horum, & *rigidorum regiminum*, effeƈtu *ſudorifero*.

§. XLIX.

Illud autem hâc occaſione ſilentio præterire nefas ducimus, quod ſolerte atque circumſpeƈtâ conſideratione, quin potiùs experimentis, cum debitâ attentione capiendis, dignam cenſeamus, aſſeverationem illam *Apini*, in libello de *Febribus Petechialibus*, publicè graſſantibus, de feliciſſimo uſu *corticis Chacarillæ*, & inde præparatarum extraƈtionum, in talibus morbis. Sicut enim non ſolùm cum ſummâ animi æquitate, ſed teſtor Deum, cum gaudio, non tàm tolerarem, quàm exoptarem, Præſes, ut vel hoc, vel aliud medicamentum quodcunque, tandem ever-

teret *difficultates* illas, ad hodiernam certè diem usque, nimium veraci eventu, *inſuperabiles*, circa quarumlibet, inprimis autem graviorum, Febrium Therapiam (dixeram autem in *Problematibus ad Febrium Hiſtoriam*, *Pathologiam atque Therapiam* pertinentibus, de *artificiis* medicis, NB. *vulgò notis atque uſitatis*, & NB. *manifeſtâ* aliquâ *ratione operantibus*: cui meæ propoſitioni B. Vir equidem ſatisfacere ſperavit, ſed nequaquam certè, *in his terminis*, ſatisfeciſſet, ſi quàm maximè reliquam ſuam experientiam, univerſalis felix eventus confirmaviſſet,) conſtantiſſimè perennantes: ita cohortor potiùs, & quantum in me eſt, autor omninò ſum, ut experimenta talia, modo cum debitâ animi attentione, ita excolantur, ut tandem quid veræ utilitatis inde percipi poſſit, firmiùs conſtitui valeat. Quod ipſum certè deſiderium, uti cum tantâ animi applicatione, per totum ab illo tempore intervallum, adeò avidè proſecutus ſum, ut etiam Anno 1703. libr. I. hujus corticis, (qui probabiliter inter avidiſſimas tantæ felicitatis ſpes, è Germaniâ utrâque ita abſumtus fuerat, ut vix quidquam ampliùs ejus impetrari poſſet,) *Octo imperialibus* coëmere non dubitaverim, quam nuper iterum, neque parvâ copiâ, totidem *groſſis* redemi.

§. L.

Sicut autem mentem autoris, è claris ejus verbis, & ſingulis propemodum hiſtoriis, rectè percipienti, facilè diluceſcit, quod felicem ab hoc *cortice* ſublevationem ægrorum, à gravibus illius morbi ſymptomatibus, ſemper comitatus ſit, & *facilis*, & *largus proventus ſudoris*; ita vellem ſanè, ut hujus etiam remedii uſus, *prudenter*, *circumſpectè*, *ſolerter*, & *attentè*, etiam in examen vocaretur in ipſâ *Peſte*. Certè enim de eo fidem meam interponere nullus dubito, quod *humores*, *corticis* hujus uſus, nequaquam inſigniter *exagitet*; niſi fortè vel *quantitate* nimis prodigâ, hoc faciat, vel *regiminibus* coactis, benignior ejus efficacia,

cer-

certiſſimè *placidè diaphoretica*, imò facilè deprehendenda, *ſine narcoſi*, *anodyna*, turbetur. Quam proinde rem omnium prudentium Medicorum ulteriori contemplationi, non tàm ſolùm relinquo, quàm ſincerâ bonâ intentione commendo. Illud audacter aſſevero, quod, ſicubi in *Peſte* æquè, atque *Variolis* & *morbillis*, repentinæ *diarrhœæ* periculum minantur; cui communes opiniones, vel *adſtrictionem* deſtinant, (*ſymptomati* tali neceſſariam reputatam, ſed *morbo* facillimè adverſam & contrariam) vel *diaphoreticum* impulſum, (pro *depulſione* à centro ad peripheriam, ſed juſto *languidiore*, aut *turbulentiore*,) ibi *corticis* hujus uſus, ſimpliciter in pulvere, omnibus aliis anteferri mereatur, ad *utrumque ſcopum* longè *placidiùs*, quàm aliis artificiis, obtinendum. Sicut etiam, ubi aliquid *peripnevmoniæ* æmulum ſeſe exerit: & ubi *ſedatione* opus videtur; quæ per *narcotica*, ſemper *turbulenta*, *ſtupida*, *temulenta*, *caput gravans*, *deliria invitans*, invenietur; ibi hic *cortex*, ſine ullis talibus difficultatibus, efficiet, quidquid bonæ ſpei par eſſe poteſt: Adeò, ut ſi ejus uſum, in hujusmodi caſibus, *ſedatio* evidens ſequatur, quaſi firmum bonæ ſpei fundamentum hoc præbeat: ſin minùs, ab aliis *ſoporiferis* certus calamitoſior effectus expectandus veniat. Quapropter, experientiâ circa hanc rem non ſocorde, aut ſuperficiariâ fretus, Præſes, eandem, ſed itidem *ſolerti*, *circumſpectæ*, & *prudenti* imitationi commendare, non potui ſuperſedere.

§. LI.

Sit itaque *Diaphoreſis*, nempè non tàm *larga ſtillatitia ſudatio*, quàm *tranſpiratio liberrima*, imò *aucta*, (nequaquam abſolutè excludendâ etiam moderatâ *madefactione*, inprimis in facilè ſudantibus, dummodo neque nimis prodiga illa evadat, neque cum *inteſtinâ* humorum turbulentiore commotione conjungatur,) ſed quantum usquam fieri poteſt, *placidiſſima*; ſimul verò *per longum tempus* ita

mo-

modeſtè, & *jugiter* quidem, continuanda, unum è *præcipuis* remediis, pro ſalubri *progreſſu, decurſu*, atque *exitu, malignarum contagioſarum febrium.* Cui interim, tàm ad *promovendum* placidè, liberiorem ſucceſſum, quàm etiam neceſſariam ſufficientem humiditatem, ſeu *dilutionem* maſſæ humorum, *potus* ſufficiens, ad morem *Theæ*, *calidus*, certâ utilitate adjungitur. *Alexipharmacorum* etiam, *diaphoreticæ* efficaciæ ſimul compertorum, *exiguæ* doſes, paucarum horarum intervallis *repetitæ*, eximiè ſubvenient: Ita tamen, ut prudentiſſimè æſtimetur, ubi hujusmodi ſubſidio potiùs quocunque modo *opus* eſſe videatur, quàm ut ſimplici quadam *empiricâ univerſali ratione*, indifferenter ubilibet idem proceſſus cum his ſervetur.

§. LII.

Ubi, præter hæc omnia, etiam illud notatu dignum habemus, adeòque hic repetimus, quod Diſſertatione de *Caſtrenſibus Curationibus* monuimus; ut ægri potiùs qualitercunque *veſtiti*, inprimis autem *cruribus* atque *brachiis*, non expoſitis faciliori auræ allabentis ſenſui, decumbant, quàm *nuditati* propiores: Dum ita affectos, levis etiam ſatis *refrigerationis* ſenſus, profundè percellit. Quem certè reliquus conclavium calor eximius, non ſolùm non temperat; ſed *anxios* de reliquo reddens Patientes, adeòque impatientiores ſervandi *regiminis æqualis*, etiam *caput turbat*, & *reſpirationem* gravat. Verbo, quidquid *uberiorem tranſpirationem*, *placidè* fovet atque promovet; *turbulentiorem* commotionem ſudatoriam non provocat: & *refrigerationem* ſolùm intercludit, ſummæ utilitatis in hoc genere affectuum habendum erit. Obſervato etiam, ſcienter & prudenter, convenienti *temporis* ſpatio; ut nihil *præproperè*, nedum *præpoſterè*, fiat: Nec etiam ulla ſpes, in *univerſo* negotio *velociter* abſolvendo, reponatur; ſed potiùs, ſi quid ipſo felici ſucceſſu ſpe citius evenerit, illud ita in lucro numeretur, ne immaturâ *ſecuritate*, in ipſo por-

tu naufragium eveniat. Valet enim hîc, inprimis in peſtilentibus, quàm maximè ſano ſenſu intelligendum illud antiquum: *Feſtina Lente.*

§. LIII.

Indicavimus jam ſupra exemplum hujus claſſis, ſed libet illud etiam repetere, dum aureo Philoſophi monito, *Nunquam nimis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur. Variolæ*, ubicunque feliciter atque ſalutariter procedunt, antè *tertium* diem apparere non incipiunt. Dico, 1) *apparere*, 2) *incipiunt.* Non enim vel illo, vel ſequente *quarto* adhuc die, (niſi ubi pauciores eveniunt, imò pauciſſimæ,) *omnes* quotquot exituræ ſunt, brevi quodam impetu emergunt. Sicubi verò vel *præmaturè*, vel universâ quaſi *copiâ*, ſimul, impetu quodam, erumpunt, aut expelluntur, maximè ſuſpectum jam, & anceps eſt, negotium; ſiquidem vel non ſervant hanc ſtationem, ſed *comparent*, & *diſparent*, vel nullâ, vel ad minimum exiguâ, ſenſibili cauſâ: vel nimiâ *copiâ* proveniunt, non *elevantur* debitè atque placidè, concipiunt graviorem *inflammationem* & *ardorem*, non *matureſcunt* tranquillè, & omnia periculoſiora exhibent atque reddunt. Ita etiam *Petechiæ*, ſimpliciores, non peſtilentès, propriâ ſuâ indole *ſerò* apparent; quæ verò *præmaturè, copioſæ* & *ſaturatiores*, erumpunt, nimiò deterioris ominis exiſtunt. *Carbunculi peſtilentes*, & nimis *citò*, & numero *plures*, erumpentes, omnium expertorum teſtimonio infames ſunt. Unde in omnibus his rebus, *feſtinatio* ad nimiam temporis brevitatem contendens, meritò inter *errores* numeranda venit, providè *vitandos.*

§. LIV.

Quo reſpectu etiam, optimo jure improbamus uſitatum ſcholis medicis vocabulum *Expulſionis* exanthematum. Propterea, quod vox hæc uſitato ſuo grammatico ſenſu, neceſſariò denotet qualemcunque actionis *impetum*, qui hîc non ſolùm *inutilis* eſt, ſed certiùs *noxius.* Probaremus

mus *depulſionis* vocem, nempè ab *interioribus* nobilioribus corporis partibus; dummodo non per immodeſtam illam *expulſionem* hæc ipſa quoque perpetranda judicaretur. Unde, uno verbo, *expulſio* ſolùm promovenda, non exagitanda, ut intelligatur, non grammatici, ſed Medici fori intereſt.

§. LV.

Ab *Evacuationibus* ad *Alterationes* pedem promovemus. Circa has primo loco conſideranda venit efficacia *Abſorbentium*. Medicamenta hæc, inter quæ aliis meritò præferimus *Oſtracodermata*, & his (etiam propter facilè parabilem copiam, tantò magis in caſu neceſſitatis,) *cortices ovorum* æquiparamus, licet indiſcreto *copioſiore* uſu, etiam incommoda faceſſere poſſint, tamen prudente uſurpatione, *parcioribus*, atque repetitis potiùs, quàm *ſimul* ingeſtis, doſibus, habent certè uſum nequaquam contemnendum, in omnibus *febrilibus ſanguinis commotionibus*; dum non ſolùm *antecedentes* ex parte cauſas *bilioſo-fermentativo-acidas acres*, ſed etiam *effectus* tales, à commotione febrili humorum *ſubnaſcentes*, occupant: imò etiam aliqualem, vero, modo rectè intellecto, ſenſu, *præcipitatoriam* efficaciam, ita exerunt, ut non ſolùm *acidas*, ſed cum his etiam activiores *ſulphureas* partes, irretiant: uti variis experimentis etiam velut ad oculum demonſtrari poteſt. Quo nomine itaque etiam in omnibus *contagioſis* febribus *malignis*, uſus eorundem vix unquam negligendus venit.

§. LVI.

Cum autem in ipsâ præſertim *Peſte*, & quidem inprimis recentioribus adhuc ſolertioribus obſervationibus (conferantur *Epiſtolæ* circa *Peſtem Dantiscanam*, *Roſenbergenſem*, & *Frauſtadienſem* &c. hinc inde perſcriptæ,) animadverſum ſit, quod multi ægri, partim *vomitibus* rejecerint, partim apertione poſt mortem in *ventriculo* adhuc reſiduam exhibuerint, *ſaburram bilioſam* valdè intensè *viridem*; qualem colorem præcipuè naſci, ex *aciditatis* exquiſitio-

ris

ris cum *bile* concurſu, alia curioſa experimenta oſtendunt & inſuper, qui ex *iracundiâ*, aut aliis (*mellis*, *horæorum* fructuum, *cerevißarum fæculentarum*, ingurgitationibus) de cauſis, *ſimpliciorem*, ſed graviorem, *choleram* incurrunt, *aciditatem* valdè *vireſcentis* talis ſaburræ, tàm in ipſis dentibus, quàm faucibus, imò exitu ani, craſſiore quodam modo perſentiſcunt: Et in *infantibus* adhuc *lactentibus*, proventus variè *vireſcentium* talium excrementorum, per diarrhœæ modum, citò exturbatorum, inprimis familiariter obſervandus, præter ſedis excoriationes & *arroſiones*, etiam ipſa *linteamina* validè corrodit: Tales itaq; omnes reliquos affectus, antequam profundiorem aliquam *arroſionem*, & huic accedentem *inflammationem*, ventriculo & inteſtinis intulerunt, *abſorbentium* talium tempeſtivus atque dexter uſus, velut ad miraculũ reſtinguit: Eſt itaq; certè ſpes nequaquam frivola aut credula, quod etiam in ejusmodi caſibus in ipsâ *peſte*, prudente ejusmodi uſu *abſorbentium* idoneorum, non ſolùm exquiſitiſſimum operæ pretium fieri, ſed eo ipſo etiam prolixa illa quæſtio atque diſceptatio componi poſſit, quæ ſive de *neceſſitate*, ſive ad minimum de *utilitate Vomitus*, pro talis materiæ nudâ & immediatâ *evacuatione*, agitatur. Sicut enim nemo credo, inficias ibit, quod materia, à craſi ſuâ noxiâ dejecta, *evacuationem*, cum variis, & inſuper in tàm ſenſibili conſtitutione facilibus & valdè promptis, *turbulentioribus* atque *vehementioribus* commotionibus colludentem, non ampliùs tantoperè urgeat: credimus utique ſanæ rationi tantò magis conſentaneum, quod etiam in exquiſito tali caſu, *abſorbentium* idoneorum prudens adminiſtratio, non ſolùm illam ambiguitatem, circa *vomitus* provocandi necesſitatem, aut impeditam *utilitatem*, expedire posſit, ſed etiam *poſitiva* potiùs emolumenta, & ſalutares effectus afferre. Diximus, *idoneorum* Abſorbentium; dum ſcil. *conchas ſine igne* præparatas, & ipſam *matrem perlarum*, *oculis cancri* propterea præferimus, quia minore

 cum

cum impetu ſolutionem, adeòque *abſorbtionem*, peragentes, tranquilliùs hunc etiam ſuum effectum abſolvere obſervantur. Eximiam certè ſenſibilem utilitatem abundè per Divinam gratiam non tàm obſervavi, quàm perſpexi, Præſes, in *Febribus petechialibus* tum temporis copiosè graſſantibus; dum à Feſto Michaelis 1693. ad Paſchatos Feſtum 1694. *novem* libras pulveris ejusmodi, ex æqualibus partibus *concharum* fluviatilium præparatarum; *antimonii diaphoret.* & *nitri depurati*, cum manifeſto fructu diſpenſavi. *Terrea* verò reliqua, tum etiam *cornu cervi uſtum*, & tantò magis ridiculo grandiloquio, *philoſophicè præparatum* dici ſolitum, cur meritò antedictis poſtponam, jam dudum argumentis & experimentis declaravi.

§. LVII.

Temperandi efficaciam in *febribus malignis contagioſis*, ſecundum rationem & firmisſimam experientiam, *Nitro* tribuere jamdudum cœpit atque perſtitit D. Præſes. Dum non ſolùm tenuitatem acriorum humorum moderatè *inſpiſſat*, & efficaciam *putredinoſæ* fermentationis potenter infringit: ſed etiam ſenſum *roſivorum ardorum*, (imò actualis *uſtionis*) *mitigat*, adeòque ipſas *inflammationes* minuit atque *temperat*. In ipſâ *Peſte* viſum eſſe ad promovendas *diarrhœas* facere, notant ante citatæ Epiſtolæ *Dantiſcanæ*; monent tamen alibi ſatis ſolerter, quod credibile ſit, nimiam ingurgitationem, præcipuè *conſertim* factam, potulentorum, culpæ partem habuiſſe. In *petechizantium* certè febrium familiariter concurrentibus *diarrhœis*, ante dictus ille pulvis, poſt rationi conformem deliberationem, experientiæ tam firmum atque conſtans ſuffragium impetravit, ut *experimenti* loco, ad illas non ſolùm *refrænandas*, ſed omninò *ſiſtendas*, perpetuò valuerit. Quod idem etiam, in *diarrhœis*, quæ aliquando *Variolis* ſuperveniunt, quàm potenter atque ſecurè præſtet, præter alios ſolertes Practicos, noſtræ aſſeverationi cum fructu confiſos, teſtem habemus

mus Collegam noſtrum honoratiſſ. Dn. D. HEINRICI Prof. Extraord. ſpectatisſimum, idem multoties expertum. Quibus rebus ita, *longâ*, *multiplici*, & *conſtantiſſimâ*, experientiâ, ita ſe gerentibus, non diſſimulo, Præſes, ſuſpicionem qualiscunque *erroris*, ſi non *exhibitionis*, tamen reliquæ *continentiæ* ipſorum Patientium, cujus interventu, in ipsâ *peſte* heteroclitus talis à *Nitro* ſequi potuerit effectus. Ad quem ipſum etiam *evitandum*, tantò magis prudentiam atque circumſpectionem, circa ejus uſum, atque obſervationes circa hunc inſtituendas, tantò lubentiùs, non ſolùm admitto, ſed ipſe etiam commendo; cum rarò, quantum memini, mentionem faciam uſus & utilitatis, quanquam mihi per Divinam gratiam, notiſſimæ, *Nitri*, quin ferè ſemper cautelam ipſis verbis exprimam, *dextrum* & *prudentem* ejus uſum, pro conditione circumſcribentem: cum nimiò notior mihi ſit, notisſima illa etiam in publicum, *empiriæ* practicæ degener ſoboles, remedia qualitercunque commendata, non tàm ſecundum *rationem* debitè atque circumſpectè, ſed ſecundum nudam, cæcam *empiriam*, ſine juſtâ diſcretione, imitandi atque uſurpandi. Unde, brevibus, in aliis quidem *malignis contagioſis* Febribus, cum juſtâ *indicatione*, *prudentem* ejus uſum laudare, nullatenus dubito aut vereor: In ipsâ verò *peſte* tantò majorem circà illius uſum *circumſpectionem*, & omnis *erroris evitationem*, tantò magis commendo.

§. LVIII.

Sicut autem prudentis hujus uſus præcipuum momentum in eo verſatur, ne *ſimultaneis* largioribus doſibus propinetur, ſed à *quatuor* ad *ſex*, aut ſummum *octo* granorum pondus; ita in *peſtilentibus* conſtitutionibus, ſuſpicioni locus eſt, quod etiam *acris* illa bilioſa ſaburra, qualicunque *Nitri* alteratione concurrente, ad faciliorem talem effectum *alvi ſolutorium* proruperit: Licet aliàs adverſus *vomitus* æquè, ac ſimul *alvinos* fluxus, *cholericos*, cum præſentisſi-

mo fructu exhibeatur, *abſorbentis* cujusdam, ex ante dictis, partes duas aut tres, & *nitri* partem unam comprehendens pulvis, à gran. XV, ad XX. datus. Imò verò, ego certè confidenter darem, emicante in ipsâ *peſte*, dico poſt *nitri* uſum, *diarrhœâ*, pulverem *chacarillæ*: ſperans ita fore, ut *utilem* efficaciam *nitri*, *heteroclitum* tale *ſymptoma* non perverſurum, aut everſurum eſſet.

§. LIX.

Tertium locum in *Alterantium* claſſe, tribuimus *Acidis*. Et inter hæc iterum priorem locum aſſignamus *Acetoſitati citri*; ſecundum genuino *ſpiritui ſulphuris* per campanam; tertium *ſpiritui Vitrioli*, aut *Clyſſo antimonii ſulphurato*. Eâ tamen diverſitate, ut, inprimis *ultimos* hos ſpiritus, parcius aliis, quàm ita dictis *ſanguineis* temperamentis, deſtinemus. Notus certè eſt *acidorum* hujusmodi uſus & effectus, tàm ad *compeſcendas* acriores *putredinoſas* fermentationes in ipſo corpore humano reliquo, quàm ad *generaliores* etiam adhuc *æſtuoſas* exagitationes febriles. Quo nomine certè non fruſtra gloriari videtur *Thonerus*, quod *Julapiis* ejusmodi, præter receptum adhuc illis tempeſtatibus morem, *acidulatis*, in *febrium* curâ, adhuc novus in patriâ Practicus, præ veteranis majorem exiſtimationem adeptus ſit. Sed opus certè eſt, ut etiam talium uſus, tàm cum reliquâ prudente circumſpectione, quàm *menſuræ* inſigni moderamine, quantum ad *ſpiritus acidos* attinet, adminiſtretur. In *Variolis* autem, ſatis cauſæ nobis videmur habere, ut ab experientiâ, ita ipsâ quoque ratione, cur *acidorum* uſum non temerè ſuadeamus.

§. LX.

De *Aceto* ſeorſim, illud dicere placet, quod juxta plerorumque Loimiatrorum conſonam de hac re experientiam, etiam ratione non refragante, uſum ejus, præſertim cum *temperatioribus alexipharmacis* è vegetabili regno, non contemnendum cenſeamus. Cum autem ſpeculativa illa

prom-

promptitudo, *innovandi* potiùs, quàm *renovandi* meliores experientias, citra harum ductum, non dubitet, quod de ſimplicis, boni *aceti* efficaciâ memoratur, etiam ad acetum *deſtillatum* transferre, imò vel *prærogativam* aliquam huic, ex nudâ opinione, asſignare: Ego certè, Præſes, hoc temerè credendi atque imitandi, nemini autor fuerim: Propterea, quia non ſolùm è *Chymicis* experimentis, longè diſpar efficacia *deſtillati* aceti, erga *ſimplex* atque crudum, ſatis manifeſta ſit: ſed mihi etiam illud conſtans experimentum abùndè cognitum exiſtit, quod, cum ſimplici aceto, etiam adeò acri, ut aliis uſus ejus atque eſus in acetariis intolerabilis videatur, ego illo impunè & ferè libenter veſcar; ſi verò deſtillati boni aceti, vel 30· ſolùm guttas deglutiam, *præſentiſſimam*, neque tranſitoriam, *raucedinem* planè notabilem, inde perſentiſcam. Unde penetrantiori tali, certè manifeſtò nimio *ſubtiliori*, aceto, intrò in corpus ita liberè utendi, cuiquam ſuaſor eſſe, meritò diffido. De reliquo verò placet omninò uſitatum Loimiàtris conſilium, ut *acetum*, potius adhibeatur tanquam pro *vehiculo alexipharmacorum*, aut *ſpeciebus* ejusmodi infuſum, earumque adeò activiore ſubſtantiâ *imbutum*, uſurpetur, quàm aliis formulis illud ipſum adhibeatur.

§. LXI.

Pauca ſunt, quæ vera atque bona ſunt. Unde de numero pluribus, ne dum plurimis, ſermocinari, meritò negligimus. Illud unum adhuc adjicientes, quod in quibuslibet *malignis contagioſis*, ſive *exanthematicam* aliquam excretionem formare ſolitis, ſive ad minimum *emotione* malignæ materiæ ad *peripheriam* corporis gaudentibus, cum fructu uſurpare ſoleamus *aquas deſtillatas*, *diapnoen* promoventes, & inprimis hoc *placidiſſimè* & benigniſſimè perpetrantes *Scabioſæ*, *Scordii*, *Galegæ*, *Cardui benedicti*, *Plantaginis*: cum quibus commodè *acidula julapia* formari poſ-

ſunt:

ſunt: ſine admixtione *abſorbentium*, inprimis ſi *minerales acidi* ſpiritus adjecti fuerint.

§. LXII.

Venit adhuc aliquid dicendum de *Sulphure*, dum hujus etiam uſum, præſertim ante aliquot adhuc luſtra, & tantò magis amplius retrò, variæ commendationes celebraverunt. *Crudi* ſulphuris, nempè ſive *florum*, ſive *pulveris* formâ, effectum certiſſimum eſſe, ut ab intra *extrorſum*, ab extra *introrſum*, reſtringat, ſeu ut vulgò loquuntur, *pellat* humores, confirmat conſtans experientia. Unde hoc intuitu uſus ejus *internus*, non contemnendus videretur, ſi nulla alia *conjuncta* aut concurſans ejusdem operatio aut efficacia, aliquid contraindicaret, aut diſſvaderet. Cum autem hoc poſtremum ſe non ita habeat, ſed potiùs *commotio* ſenſibilis *æſtuatoria* in *acutis*, & tantò magis *malignis*, unà ſe exerat, eaquè talis atque tanta ut reliquum illum *expulſorium* effectũ, ſi ſuperet, in *doſi* quantuslibet exceſſus committatur: requirit, hoc ipſo, prudentiſſimum certè uſum, & adminiſtrationis moderamen. Unde prodigas illas quantitates, quæ ſuperioris & antecedentis ſæculi Chymiatris, ita dictis, conſilio potiùs, quàm provido atque firmo experimento, placuerunt, noſtro calculo approbare diffidimus. Quod autem de aliâ *ſpecialiore* ἀῤῥήτῳ efficaciâ, pro illorum temporum more, unà venditari notum eſt, ne cuiquam temerè imponat, aut nimium confidentes uſus & tentamina perſuadeat, juſta cautio erit. Cum ille τοῦ Θείου titulus, qui ab antiquitate Græcâ *ſulphuri* aſſignatus eſt, circà religioſos inprimis ritus & luſtrationes, in longè alio utendi modo, ſi non ſimpliciter ſuperſtitiosâ credulitate de talibus ſuffumigiis, deteriores ſpiritus repellentibus, fundatus fuerit. Ubi de cætero parem uſum *fumigatorium*, etiam in *peſtilentibus* conſtitutionibus & aurâ vagâ deſtruendâ, non incommodum judicaremus; ſi non ſimul præſentiora, certiora incommoda, imò damna, *caput* gravando, & pe-

pectus atque organa *ſpiritalia* malè habendo, involveret. Quod cum aliquantò minus faciat, *pulveris pyrii* fumus, dummodo non etiam tantò minoris in hoc genere ſit efficaciæ, non improbaremus, hujus pro hoc ſcopo uſum.

§. LXIII.

Ex his ita dictis, quaſi brevi ſpicilegio, colligimus & repetimus. I. In *quibuslibet malignis contagioſis*, ſicuti morbus *in ſe*, extra *individuales accidentales* concurrentes malas diſpoſitiones, *moderatus* admodum, *ordinatus*, *conſtantis* tenoris, & admodum *tranquillè* atque *providè* progrediens, obſervatur; ita hunc ejus genium, Medico ſemper ita ante oculos mentis verſari debere, ut non ſolùm ipſe *contrariam* aliquam methodum, præcipitem, exagitatoriam, ne dum *præpoſteram*, in animum non inducat: ſed etiam à *ſymptomatibus*, per *individua*, & malas ipſorum *gubernationes*, nunquam ſe ita turbari, ſeu in illum *errorem* adduci ſinat, ut vel *morbi* ipſius rationem habendam obliviſcatur, vel *ſymptomatibus* talia remedia adhibenda cenſeat, quæ *primario* morbo non ſimul proſpiciant, ne dum illi *præjudicium* aliquod accerſant. Unde II. apprimè probamus illud ſolertiſſimi Medici Dantiſcani inſtitutum, per *primos morbi dies*, vel planè *nihil* remediorum activiorum (nam de *abſorbentibus*, & aliis *placidè alterantibus*, moderatè datis, nihil timuerimus,) exhibendi; benè verò *tranquillam* atque *patientem continentiam*, quantâ usquam fieri poteſt operâ, ipſi commendandi. III. Ne dum ut quicquam ad quaslibet *evacuationes directè* pertinens aut propendens, ſuaſerimus: improbantes etiam *præpoſterum* illud, ſubinde in *variolis* familiare, conſilium, *expulſiones*, uti loquuntur, promovendi; ſiquidem dum hæ, ſub bonâ *gubernatione*, etiam ſponte naturæ adornantur, quicquid *activius* illi adjicitur, certè pro *nimio* facilè numerandum venit, non exiguas noxas concitare compote. IV. Quamvis autem etiam *Sudatorias*, & facilè, per ſufficientis peritiæ defectum, eodem recidentes *Diapnoicas* medicationes, uti ſperamus, clarè & perſpicuè reſtrinxerimus; cavendum tamen adhuc eſt, ne magis *ſpeculativis*, quàm *pragmaticis* cautelis, contrario *errori* via ſternatur: ut non ſolùm *indirectum* ſolum illum, ſed tamen *proficuum* utiq; *expedito-*

ris tranſpirationis uſum, emotioni ad *peripheriam* corporis qualibet conſideratione velificantem, parvi æſtiment, ſive Medici, ſive ægri: ſed inprimis hi *poſteriores*, inducente inprimis anxietate, planè in *contrarium*, nempè ad *refrigerationes*, dilabantur. Cum, qui in praxi ſolerter verſati ſunt, affatim perſpectum habere poſſint, quàm eximia *ſenſibilitas*, è talium *maligniorum* morborum propriâ indole, nedum per individua concurrente teneriore texturâ, vigeat, quæ ſatis levibus auræ ambientis alterationibus, in eas *antipraxes* ruat, ut vel dimidiæ horæ ſpatio durans reſtrictio miasmatum, præſertim jam majorem *orgasmum* nactorum, circa *intimiora*, periculoſisſimas irruptiones, & ſæpe irrevocabiles corruptiones, attingat. V. Unde etiam certè adhuc majore ἀκρίβεια opus eſt, circa diſtinctionem illam, miasmatis adhuc ſub *halituosâ* formâ, vel in totum eliminandi, vel certè anliquam ejus *quantitatem* diſturbandi; prout tentamen tale, vel in vero primo principio, vel in tali jam progreſſu ſuſcipitur, ubi jam actio aliqua in humores invaluit. Cum utique nequaquam deſint exempla, vel in hac noſtrâ urbe, à peſte ante hos 30. annos graſſatâ, ſatis certò correptorum, & *diuturno* qualicunque *ſudore*, vel intra nycthemeri ſpatium, ab ulteriore graviore ſucceſſu liberatorum. Cavendo ſolùm ita, ab omni *immodeſtiore* commotione, ut ad minimum regimen illud, plus tranquillæ continentiæ, quàm cuicunque *ſtimulo* ſuperſtruendum, ſi utique hanc felicitatem non aſſequatur, tamen ad *emotionem* à nobilioribus partibus ad *peripherias*, viam placidè ſternat. VI. Sicut etiam *Vomitûs*, placidiſſimè provocandi inſtitutum, nequaquam abſolutè improbamus; interim pro *regulari univerſali* methodo illud nequaquam ſtabiliverimus: manente ſimul firmiſſimâ certè; nequaquam *ſpeculativâ*, ſed planè *pragmaticâ*, illâ Theoriâ, quod tenuiſſimum contagioſorum malignorum miasma, nequaquam hac *craſſiore* evacuatione exantlari poſſit: ſed ſimpliciter illud, quod fortè in ventriculi cavitate, ab illâ, *ſummè fermentativâ* efficaciâ, in *bilioſo - acidam* acredinem concitatum eſt, & converſum. Cujus ubi aliqua ſuſpicio aut indicia ſeſe offerunt (*individualiter* potiùs, quàm *univerſaliter*,) *vomitio* non acriter exſtimulata, ut *in ſe*, nunquam contemnetur: Dum autem in tali-

bus

bus morbis, cuicunque fortiori commotioni promtiſſimè natura nimium incumbit, cavendum certè, ne tale conamen, *intentionem* optimam Medici ad inſperatum deteriorem exitum deducat: ubi ille deinde, niſi remedio, cui in tali caſu *fidere* liceat, heteroclito tali eventui conſulere impos ſit. Quod quidem maximè de *Peſte* intellectum volumus; cum in aliis *malignis contagioſis*, (præter *Apinum* de Febre petechizante) *vomitus* qualemcunque *neceſſitatem*, tanquam *regulâ* quadam, vix quicquam publicè ſanxiſſe inveniatur, qui *pragmaticam* fidem promeritus videretur. VII. In incremento & ἀκμῇ morborũ talium, *alexipharmacorum activiorum* uſus, non minore etiam *prudentiâ* adminiſtrari poſtulat. Unde *temperatiora*, *partitis* atque *repetitis* potiùs doſibus, & ſine *regimine*, niſi quod *refrigerationes* arceat, ſolùm locum habent alexipharmaca. Nominatim autem, in *variolis* & *morbillis*, quantumcunque *benè* procedentibus, nec hæc ipſa etiam ullo modo *neceſſaria* ſunt; imò ſub qualicunque *exceſſu*, uſitatis præſcriptionibus familiariſſimo, ne quidem *tolerabilia* ſunt, præſertim in activiore indole. VIII. Lenia verò *abſorbentia*, moderato uſu, uti nulli horum morborum præjudicium inducunt, ita omnibus potiùs emolumentum pollicentur, etiam ſolitaria; aut ad ſummum parvâ quantitate *Antimonii diaphoretici*, & ubi ſuſpectum eſſe non meruit, *Nitri*, pro re natâ, ſuffulta. IX. Summoperè verò, ut in aliis etiam *levioribus* Febribus, habenda venit ratio *Temporis*, & qualiscunque tandem hujus *periodi*. Unde imperitum certè eſſet, vel ſibi vel ægro, inſignem converſionem in melius, ne dum ſecuritatem, polliceri, *extrà*, aut *ante*, *periodum*. Valet itaque certè hîc eximiè, *perita*, & verè *pragmatica*, *Expectatio*; Interim ut non abſolutè *otioſa*, ita tamen etiam non intempeſtivis *negotiis* occupanda. X. In *Peſte* verò, Medico illa *Prognoſis*, pro ſcientiâ ſuâ atque conſcientiâ à perturbatione muniendâ, excellentem uſum præbebit, ut, dum verè *accidentalia* ſymptomata, æquabili morbi decurſui, graviſſimas perturbationes objicere animadvertit, non quidem ſtatim abſolutè omnem ſpem abjiciat; interim, ſi arte & conſilio prævalere non contingat, Divinis fatis reverenter agnitis, in eum *errorem* non conſen-

 tiat,

tiat, ut quæ recte agi debent, & ubi adhuc locum habere poſſunt, propterea ita in *dubium* adducat, ut inde confuſus, deinde omnis boni conſilii incertus, imò inops, reſtitet, XI. Interim notanda exquiſitiſſimè, in omnibus *malignis contagioſis*, omninò venit, non ſolùm *abſolutiſſimè neceſſaria*, ſed hîc etiam, ſi usquam, circa *directum morbum*, luculenta, *Naturæ Energia* atque *Synergia*; & ægri etiam *voluntaria, morigera* atque *patiens* gubernatio: quarum *erroribus*, Ars, communiter parum, freqventer nihil, ſubſidii ampliùs ſubmittere valet, ſi quantumcunque prævaluerint, aut damnum eximium jam intulerint: Cavendo autem tantò enixiùs, ne ſalutaribus harum poteſtatum progreſſibus, *impedimenta* demum, aut *perturbationes*, perversâ arte objiciantur.

§. LXIV.

His omnibus, rectè atque ordine ſic obſervatis, *primario* affectui, quantum in artis poteſtate eſt, ſatisfactum erit. De *Alterantium* uſu, præter jam ſupra dicta, equidem nihil ſuccurrit, quod adjiciendum videretur; interim etiam illa ipſa velut in unum contrahendo, *Abſorbentium* modeſtus uſus, *repetitis* potiùs *parvis*, quàm *ſimultaneis majoribus*, doſibus (niſi per individua, *ſemel* aut *bis*, aliquantò largiores, utiliores judicari mereantur,) neque ulli talium morborum, nec ulli eorum tempori, inutilis, nedum anceps, apparebit, ſed potiùs communiſſimè ſenſibilem quandam euphoriam mitigatoriam exhibebit: Commodè verò ſociabitur, rectè præparatum, adeòque ab omni *Vomitorio-catharticâ* ſuſpicione alieniſſimum, *Antimonium diaphoreticum*: quod in *ſenſilibus* ejusmodi *morbis*, nedum inſuper *ſubjectis*, blandiſſimâ *diaphoreticâ* efficaciâ conſpicuum eſſe, quisquis præfractè negat, illum vel nullâ praxi, vel nullâ ſolerte atque attentâ obſervatione, potitũ eſſe, neceſſe fuerit, cum manifeſta hujus rei documenta non posſint non indies in ſenſꝯ incurrere. Meritò verò in *Antimonio diaphoretico* rectè parato, *tenero*, acquieſcimus, præ vaniloquâ illâ *Bezoardici mineralis* prærogativâ, aut ſimilibus, ſpecioſiùs quàm veriùs, jactatis præparationum ambagibus. Interim usque adeò efficaciam hanc *diaphoreticam* certam atque compertam habentes, ut, ubi à tali remedii formulâ *ſudatio* ſen-

ſibiliùs percipitur, ibi ne quidem ejusdem uſui, aut ad minimum doſi, inſiſtendum eſſe jubeamus: cum utique *ſudor*, *quà talis*, nulli horum morborum ſatis quadret, nedum ſatisfaciat. Tantò magis autem prudenter utique, *ſubordinandus* potiùs atque *interponendus*, *Abſorbentibus*, venit uſus *Acidorum*. Cum enim *abſorbentia* partim *primas vias* magis immediatè reſpiciant, partim *humoribus* ſupra notatam utilitatem *præcipitatoriam* promittant; præterea *acores morbidi*, *fermentativi bilioſo-ſulphurei*, alterius planè indolis ſint, quàm tales ſive ſinceri, ſive ſub crasſiore *oleagineâ* compoſitione prædominantes: prudenter ſanè atque ſcienter diſcernenda hic eſt apparens illa contrarietas, quaſi alienum eſſet, per *abſorbentia acores obtundere* velle, & tamen *acida* in uſum trahere. Eadem etiam ratio eſt, (fundata ſuper diverſo gradu energiæ *acidorum*, Chymiâ demonſtrabilis,) quamobrem, *mineralibus* inprimis acidis, in eâdem formulâ, *abſorbentia* ſociari non debeant: imò, propter easdem *Chymico-phyſicas* rationes, in his affectibus, ne quidem *Vegetabilia*: niſi quod *liquamen*, è ſaturatione ſucci citri, cum oculis cancri, ſepoſito craſſamento, quod inde ad fundum ſecedit, præ aliis ſimilibus adhuc locum mereri poſſit, magis tamen in aliis, quàm exquiſitioribus *malignis febrilibus*, affectibus. Aquarum interim *diapnoicarum* uſus, pro circumſtantiis moderandus, incommodum nullum, ſed commodum potiùs aliquod, exhibebit.

§. LXV.

Nihil diximus de *ſpiritibus acidis* juxta uſitatam officinalem formulam loquendi, *dulcificatis*. Manifeſti alicujus uſus teſtimonio illos potiri, circumſpecta experientia nusquam adhuc oſtendere nobis potuit; æſtimatio etiam prudentior illorum, è *phyſico-chymicis* regulis, ad noſtram notitiam nusquam adhuc pertigit, ſed ſolæ partim ſpeculativæ, partim, tritiſſimo more, tralatitiæ commemorationes, de illorum uſibus, *ſinceræ* acidorum talium craſi, per *analogismum* quendam inædificatis. Priusquam itaque luculentiore experimento, prærogativa talis quæcunque, imò ſolùm utilitas vera eorundem,

fidæ experientiæ conformis, ſtabiliatur, ad negotia adeò ſeria, tentamina talia laudare, meritò ſuperſedemus.

§. LXVI.

His noſtris aſſertis, quicquid *contrarium* ſuſcipitur, tamdiu inter *Errores*, meritò, imò neceſſariò, *vitandos*, collocamus, donec experientiâ ſolidâ, & huic innixâ ratione luculentâ, aliud demonſtretur. Quod quidem vix metuendum eſſe, tantò ſecurius confido, Præſes, cum has res, jam ab alterâ annorum decuriâ, publicè profiteri, imò monere atque inculcare, connixus, tantum abeſt, ut docta, perita, atque prudens, & ab experientiâ firmâ, luculentâ & conſtante, teſtimonia producens, contrarium reſpiciens, ſententia comparuerit: Ut potiùs, in ipsâ praxi verſatorum, honeſtorum & ſolertium Medicorum, ſuffragia, *generaliora*, ex antecedenti præ me habuerim, *ſpecialiora* vero, receptæ communiſſimæ opinioni hinc inde etiam contraria, è conſequente demum paſſim, per Divinam benedictionem aſſecutus ſim, nec, quod ſciam, quenquam adhuc talibus animadverſionibus, è ſolertioribus meis Auditoribus, dictis, aut ſcriptis, traditis, animum applicuiſſe, auſcultaviſſe, eaque in Praxin & effectum deduxiſſe, ſub Divinâ benedictione pœnituerit.

§. LXVII.

Breviſſimis adhuc attingere licebit *duos Errores*, circà *peſtis* malum meritò *vitandos*. Concernunt hi, partim *electionem Medicorum* peſtilentiariorum, partim, ſit venia verbo, *accommodationem* eorundem. Primum quod attinet, uti certè ſanæ rationi adverſatur, homines non ſolùm *peritiâ*, ſed ſimul *prudente* atque *circumſpectâ animi præſentiâ* atque *promptitudine*, nondum ſatis inſtructos, & paſſim alienioribus ſpeculationibus turbidos, morbo deſtinare, qui & firmiſſima, & promptiſſima pasſim, & circumſpectisſima per individua, conſilia exigat; Ita hujusmodi *errorem evitandum* eſſe, quilibet facilè conſentiet: *quomodo* vero evitari posſit, prudenter conſultandi materiem inveniet, quam cujuslibet dexteritati relinquimus, ſed etiam commendamus. Secundum quod concernit,

me-

memini, Præſes, adhuc inde à Peſte, ante hos 30, & quod excurrit, annos, graſſatâ, quomodo certis quibusdam exemplis, in hoc negotio *erratum* ſit, publico nullo uſu ſecuto, privato verò talium Medicorum mortali damno. Conſiſtit autem *error* in eo, ſi medicationibus talibus deſtinati, & addicti, jubeantur atque teneantur, inſuperabili atque intolerabili *diurnâ nocturnâque defatigatione*, præſertim onere in unum fortè aut alterum ſolum inclinato, imò impoſito, officio tali invigilare: ſine *ſubalternâ* aliquâ permutatione, & ſtationum quaſi quarundam ſubſidiariarum ſucceſsione. Quâ re aliter fieri, nunquam poterit, quin & *delaſſetur*, & *perturbetur* & *confundatur* denique, Medicus, etiam peritiâ practicâ qualicunque jam inſtructus, nedum ἀπὸ μηχανῆς in hanc palæſtram emiſſus. Cui rei, cum ſupervacuæ momentaneæ ægrorum *viſitationes*, & asſiſtentium *ſollicitationes*, ingens fundamentum ſubſternant, publicæ certè autoritatis interpoſitionem, unicum ducimus pro hoc *Errore evitando*, præſidium; ut non ſolùm, pro *loci* & *numeri* conditione, etiam uno plures Medici tali officio præponantur, ſed etiam ita inter ſe, tàm *conſilia*, quàm *ſtationes*, partiantur, ne contrariâ ratione & Publico malè conſultum ſit, & Viri tales, tanquam præmaturè, oneri ſuccumbant. Quorſum etiam referimus, juſtam, & ſatis exquiſitam, *Medicorum* & *Chirurgicorum* officiorum, diſcretionem atque diſtributionem; ita, ut equidem *Chirurgi* peſtilentiarii, dicto audientes ſint Medicis; ſed etiam Medici, conſilii ita compotes, quantum ad *Chirurgicam* peſtiferarum exiturarum tractationem attinet, ut Chirurgus quidem, & posſit, & velit, Medici conſilio obſequi: Medicus autem reliquæ morbi curæ intentus, non ita abſolutè neceſſe habeat, etiam Chirurgi partes in ſe recipere, aut hunc indiviſo comitatu neceſſariò ſtipare. Quem in finem utilisſimæ ſanè erunt conſultationes tales, quomodo *eventibus* ſimilibus jam ad *chirurgicam* opem devolutis, *conſtanti* aliquâ potiùs, quàm *tentabundâ* methodo aut encheireſi, occurri posſit. Qua de re cum conſonæ ſint experientiæ *Loimiatrorum* propiorum temporum, quod plus ibi ſemper valeant, *moderate*

tè potiùs *emollientes* ſpecies atque fotus, quàm *potentiales* aut *actuales καύσεις*, *ſcarificationes*, *inciſiones*, *exciſiones* &c. erit certè ipſis etiam Chirurgis planius & commodius, certam aliquam *unam* potiùs circà tales res, viam, inſiſtere atque perſequi, quàm, inter multiplicia tentamina laborioſiora, fluctuando, incertitudinem alicujus boni uſus aut exitus perpetuò periclitari. Factorum autem jam abſceſſuum *mundificationes*, exterſiones, atque defenſiones, ita ſecurius atque juſtius permittere licebit Chirurgo, ſi ille quoque, *defendendi* opinione, à *repellentibus*, *coagulantibus* atque *adſtringentibus* abſtinere, doctus ſit & ſufficientermonitus.

§. LXVIII.

Ita quidem, quantum humana ſcientia atque prudentia valet, ſervatâ ubilibet *moderatione*, cum *ſolertiâ* atque *vigilantiâ* conjunctâ, non ſolùm *errores evitatum* iri confidimus; ſed etjam juſtâ, rationali atque experimentali, ſolertiâ, peritiâ, & prudentiâ, *omnibus* & *ſingulis malignis contagioſis febrilibus* morbis, tàm *directis*, quàm per individualia *acceſſoria ſymptomata* vacillantibus, proſpectum, conſultum, imò ſatisfactum iri. Nusquam tamen ſine DIVINÆ BENEDICTIONIS præſidio atque ſubſidio. Quod proinde quilibet cordatus Medicus, Chirurgus, & ipſe quoque æger, in oculis atque animo habere, & fideli fiduciâ, exorare atque expectare, antiquisſimum habebit. Quod nos omnibus talibus, uti nobis ipſis, enixisſimè apprecantes, eidem etiam pro præſtito nobis paterno auxilio, & imposterum ſemper præſtando, gratias atque preces, humillimâ mente conſecramus.

S. D. G.